Nos don fray gonçal [illegible]

Oca

este libro truxe prestado del [illegible]

del [illegible] negra — [illegible]

del collegio de S. ermenegild



ISIDO
RI HISPALENSIS

Episcopi, Theologi perue
tusti, Enarrationes doctissi
mæ breuissimæq; in

Genesim, Exodũm,
Leuiticum, Numeros,
Deuteromiũ, Iosue,
Iudicum, Regũ IIII.
Esdram, Machabæ.

Coloniæ apud Iohãnem Soterem,
An. M. D. XXX.

ISIDORI
HISPALENSIS EPISCOPI IN LIBRVM GENESEOS, PROLOGVS.



ISTORIA SACRAE LEGIS non sine aliqua prænuntiatiõe futurorum gesta atq; conscripta est: nec pertineret ad prefigurationis mysteriũ tam multiplex rerum umbra gestarum, nisi docẽs Apostolus diceret: Lex figuram habet futurorꝫ bonorum, non ipsam imaginem rerum. Proinde quedã que in ea figuratim dicta uel facta sunt, et sunt plena mysticis sacramentis, adiuuãte superna gratia, in hoc opusculo exequẽtes intexuimus, ueterꝫ ecclesiasticorũ sentẽtias cõgregãtes, ueluti ex diuersis pratis flores collectos ad manũ fecimus: & pauca de multis breuiter pstringentes pleraq; etiã adijciẽtes uel ex aliqua parte mutãtes, offerimus nõ solum studiosis, sed etiam fastidiosis lectoribus, q̃bus nimia longitudo sermonis abhorret. Breui em̃ expositione succincta, non faciunt de plixitate fastidiũ. Prolixa em̃ et occulta tedet oratio, breuis et aperta delectat. Et quia iam pridem iuxta literam ã nobis sermo totus cõtextus est, necesse est, ut precedẽte historie fundamento, allegoricus sensus sequatur. Nam figuraliter quædam ex his intelligũtur, uere tanq̃ prophetica indicia precedentia futu

rorꝝ. Sane non omnia quę in lege & prophetis scripta sunt, ænigmatibus mysteriorum obteguntur, sed pro his quę aliquid significāt, etiam quę nihil significant connectuntur. Sicut enim in citharis & huiusmodi organis musicis, non quidē omnia quę tanguntur, canorū aliquid resonāt sed cordę, cætera tū in toto citharę corpore ideo facta sunt, ut esset ubi cōnecterentur & quo tenderentur illa quæ ad cantilenæ suauitatē modulaturus est artifex: Ita in his propheticis narrationibus, quę obteguntur aut aliquid sonant in significatione futurorū, aut si nihil sonant ad hoc interponūtur, ut sit unde illa significantia tanquā sonantia cōnectantur. Has aūt rerum gestarū figuras de mysticis thesauris sapiētiū, ut prædiximus, depromentes, in unam formā compēdio breuitatis cōtraximus. In quibus lector nō nostra leget, sed ueterꝝ. Quod enim ego loquor, illi dicūt, & uox mea, ipsorum est lingua. Sumpta itaque sunt ab autoribus Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Fulgentio, ac nostri temporis insigniter eloquenti Gregorio.

ENARRATIONIS IN GENESIM CAPITA.

Premissio operis ab exordio mūdi usq; ad expulsionem hominis de paradiso. I
De operibus sex dierum. II

De paradisi conditione uel hominis. III
De præceptis dei,& persuasione serpentis. IIII
De peccato primorũ hominum siue supplicio. V
De Cain & Abel,eorumq́ progenie. VI
De arca siue de diluuio mundi. VII
Item de Noë & bñdictionibus eius in filios. VIII
De Nebroth gigante,& cõfusione linguarũ. IX
De egressu Abrahæ à Chaldęis. X
De uictoria Abrahæ & de Melchisedech. XI
De sacrificio Abrahæ & promissione dei. XII
De Sara & circuncisione Abrahæ. XIII
De tribus uiris qui uenerũt ad ilicẽ Mãbrę. XIIII
De Sodomis & de Loth,& filiabus eius. XV
De Abimelech qui Sarã ducere uoluit uxorẽ. XVI
De natiuitate Isaac,& expulsiõe Agar cũ filio. XVII
De eo quod obtulit Abraham filiũ suum. XVIII
De Isaac & Rebecca. XIX
De Cethura siue de morte Abraham. XX
De eo quod uidit Abimelech Isaac ludere cum Rebecca. XXI
De puteis quos fodit Isaac. XXII
De Esau & Iacob. XXIII
De scala quam in uisione uidit Iacob.&c. XXIIII
De Lia & Rachel,& duabus famulabus. XXV
De fuga Iacob & Rachel, quæ furata est deos patris sui. XXVI
De lucta Iacob cum angelo. XXVII
De Dina & partu Rachel et incestu Rubẽ. XXVIII
De Iuda quando dormiuit cum nuru sua. XXIX
De historia Ioseph. XXX
De benedictionibus Patriarcharum. XXXI.

ISIDORI
HISPALEN. EPISCOPI E-
narratio in Genesim.

Præmissio operis ab exordio mundi usq; ad expulsionẽ hominis de paradiso, Cap. I.



REATVRA COEli & terræ quomõ historialiter ab exordio principij condita sit, legimus, sed qualiter in ecclesia spiritualiter à doctorib⁹ accipiatur, intelligamus. In principio fecit deus cœlũ & terram, & c.) Principium CHRISTVS est, sic ipse in Euangelio ait: Ego sum principiũ qui & loquor uobis. In hoc igitur principio fecit deus cœlum, id est spirituales qui cœlestia meditãtur, et quæ sunt in ipso. Fecit & carnales, qui terrenum hominẽ necdum deposuerũt. Terra aũt erat inanis & uacua.) terra scilicet carnis nostræ erat inanis & uacua, priusquàm doctrinæ acciperet formã. Et tenebræ erant super faciem abyssi.) quia delictorum cęcitas & ignorantię profunda obscuritas corda nostra tegebat. Et spiritus domini ferebaẽ super aquas.) Spiritus autẽ domini super cor nostrum tenebrosum & fluidũ quasi sup aquas iam superferebatur, in quo subsistentes requiesceremus

sceremus, cuiusq́ uiuificaremur flatu, & cuius unda ablueremur.

Dixit quoq; deus, fiat lux.) Id est illuminatio credulitatis appareat. Prima enim die lucem fidei dedit: quia prima est in conuersatione fides, unde & ipsum primum in præceptis mādatum est. Dominus inquit, deus tuus, deus unus est. Propter quæ fidem ipse dominus etiā uisibiliter in mundo apparere uoluit. Iamtunc deus iuxta præsciētiæ suæ gratiam diuisit iustos, id est filios dei & lucis à peccatoribus tanq̄ à tenebris: istos uocans diem, illos noctem. Nā quod lucis nomine iusti appellantur, audi Apostolum: Fuistis inquit, aliquādo tenebræ, nūc autem lux in domino.

Deinde secunda die disposuit firmamētum, id ē solidamentū sanctarum scripturarum: firmamentū enī in ecclesia scripturæ diuinæ intelliguntur: quia cœlum plicabit sicut liber. Discreuitq́ super hoc firmamēto aquas.) id est, cœlestes populos angelorum, qui non opus habent hoc suspicere firmamētum, ut legentem legentes audiant uerbum dei. Vident enim eū semper & diligunt: sed superposuit ipsum firmamentū legis suæ super infirmitatē inferiorum populorum, ut ibi suspicientes cognoscant, qualiter discernāt inter carnalia & spiritualia, quasi inter aquas superiores & inferiores.

Post hæc die tertia collegit in unum aquas inferiores salsas.) hoc ē hoīes infideles, q cupiditatū tēpestate & tentationum carnalium fluctibus quatiuntur, & in se ipsis quasi amaritudo includuntur. Segregauitq́ ab eis aridam.) populū scilicet fontem fidei sitiētem; offixitq́ dehinc superborum li-

bus,ut dominentur rationes intellectuū omnium carnaliū perturbationū,quasi insensibiliū animantium.Omnem autē herbam seminalem,& omne lignum fructuosum quod hominibus datum est in escam,fideles sunt de oblationibus suis sanctorꝝ necessitatibus cōmunicantes.Vnde Apostolus ait:Nā si in spiritualibus participes facti sunt gentiles, debēt & in carnalibus ministrare eis.Hæc sunt fructifera ligna.In istis ergo gradibus tanq̄ in qbusdā diebus uespa est ipsa perfectio singulorū operū, & manet ichoatio sequētiū.Post istorꝝ itaq; quasi sex dierꝝ opa bona ualde sperat hō quietē mentis constitutꝰ in spirituali paradiso,quo significat̄ uita beata,ubi fons est sapiētiæ diuisus in quatuor partes uirtutū, ubi edat ligni uitæ gratiā, ubi utiles disciplinas morū quasi fructus lignorꝝ carpat. Est nāq; paradisus uita beatorum.Quatuor flumina,quatuor uirtutes:ligna eius,oēs utiles disciplinæ:lignorū fructus,mores piorū:Lignum uitæ,ipsa bonorum omniū mater sapientia est: de qua scriptū est,Solomone dicēte: Lignū uitæ est his qui apprehendūt eam,& qui tenuerit eam beatus. Lignū scientiæ boni & mali,trāsgressio est mādati experimēto. Hactenus sex dierū opera qualiter in ecclesia spūaliter intelligantur,explicata sunt.Deinde quid in figurā seculi significent,subiciendū est.Sex diebus cōsummauit deus oīa opa sua,& in septimo requeuit. Sex ætatibus humanū genus in hoc seculo p successiones tēporꝝ dei opera insinuant, quarꝝ prima est ab Adam usq; ad Noē.Secunda, à Noē usq; ad Abrahā. Tertia, ab Abrahā usq; ad Dauid. Quarta,à Duaid usq; ad transmigrationē Babylonię.Quinta deinde

u ſq; ad humilē aduentū domini noſtri Ieſu C H R I S T I. Sexta quæ nunc agitur uſq; quo mundus fini a tur, donec excelſus ueniat ad iudicium. Septima uero intelligitur in requie ſanctorum, quæ ſcilicet uesperam nō habet, quā etiā nullus terminus claudet. Pergamus ergo breuiter per has oēs mūdi ætates, & replicātes ordinē tempoꝝ eorū myſtice differētias diſtinguamus. Primo eñ ſeculo factus ē tanq̄ lux homo in paradiſo, in qua ætate filios dei in lucis nomine diuidit deus à filijs hominū, quaſi à tenebris: fitq; huius diei ueſpera, diluuiū. Secundū ſeculum factum eſt quaſi firmamentū, inter aquā & aquam, arca utiq; illa quę natauit inter pluuiam & maria. Huius ueſpera fit cōfuſio linguarum. Tertium ſeculū factū eſt, quando ſeparauit populum ſuum à gentibus per Abraham, diſcernēs eū quaſi aridam ab aquis, ut proferret germen herbaꝝ atq; lignorum, id eſt ſanctos, & fructum ſanctarū ſcripturarum. Huius ueſpera fuit peccatum, & malitia peſſimi regis Saul. Inde quartū ſeculū cœpit à Dauid, qn̄ conſtituit deus luminaria in firmamēto cæli, id eſt ſplendorē regni tanquā ſolis excellentiā, & in lunæ ſpecie obtempantem tanq̄ ſynagogam, & ſtellas pricipes eius. Cuius ętatis fit ueſpera in peccatis regū, quibus gens illa meruit captiuari in Babylonem. Porro quinto ſeculo, id eſt tranſmigratione Babyloniæ, facta ſunt quaſi animalia in aquis & uolatilia cœli: quia tunc Iudęi inter gentes tanq̄ in mari uiuere cœperunt, nec habebant ſtabilem locum, tanq̄ uolantes aues. Huius diei quaſi ueſpera eſt multiplicatio peccatoꝝ in populo Iudæorū, quando ſic excæcati ſunt, ut etiā dominū I E S V M

non

non possent agnoscere. Iam sextum seculum fit in aduentu domini nostri Iesu Christi. Nam sicut in illa sexta die primus homo Adam de limo terræ ad imaginē dei formatus est, sic in ista sexta seculi ętate secūdus Adam id est CHRISTVS, in carne de Maria uirgine natus ē. Ille ī anima uiuēte, hic in spiritu uiuificāte. Et sicut in illa die fit aīa uiua, sic in isto seculo uitā desiderātes æternam. Et sicut in illa sexta die serpentiū & ferarꝫ genera terra produxit, ita & in hac sexta ætate seculi gentes uitam appetētes æternam, ecclesia generauit: quem etiam sensum uas Petro ostensum manifestauit. Et quemadmodum in illa die creati sunt masculus & fœmina, sic in ista seculi ętate manifestati sūt CHRISTVS & ecclesia. Et sicuti præponitur homo in die illa pecoribus, serpētibus & cœli uolatilibus, ita Christus in hac ætate gentibus, populis & nationibus, ut ab eo regantur: uel carnali cōcupiscentiæ dediti, sicut pecora: uel terrena curiositate obscurati, quasi serpentes: uel elati superbia, quasi aues. Et sicut in illa die pascit̄ homo & animalia quæ cū illo sunt herbis seminalibus & lignis fructiferis, & herbis uiridibus: sic in ista ætate spiritualis hō qui bonus minister est Iesu Christi, cū ipso populo spūaliter pascitur sanctarū scripturarꝫ alimētis & lege diuina ad cōcipiendā fœcūditatem rationū atqꝫ sermonū, tanq̄ herbis seminalibus, partim ad utilitatē morū cōuersiōis humanę tanq̄ lignis fructiferis, partim ad uigorem fidei, spei & charitatis in uitā æternā tanq̄ herbis uiridibus, quæ nullo æstu tribulationū arescunt: sicut spiritualibus cibis, sic istis alimentis pascitur, ut multa intelligat: carnalis aūt id est par

uulus in CHRISTO tanq̃ pecus domini,ut multa credat quæ intelligere necdũ poteſt: tamẽ eoſdẽ cibos omnes habent: huius aũt ętatis quaſi ueſpera utinã nos nõ inueniat.Illa ẽ eñ de qua dominus dicit: Putas ueniens filius hominis inueniet fidẽ ſu per terram? Poſt iſtam ueſpam fiet mane, cũ ipſe dominus in claritate uẽturus eſt, & requieſcent cũ Chriſto ab omnibus operibus ſuis hi quibus dictũ eſt: Eſtote perfecti ſicut pater ueſter qui in cœlis ẽ, perfectus eſt. Tales eñ faciunt opera bona ualde: Poſt talia enim opera ſperanda eſt requies in die ſe ptimo: quia ueſperam non habet. Sequitur hinc re capitulatio uniuerſæ conditę creaturę. Iſtæ gñra tiones cœli & terræ quando creatę ſunt in die quo fecit deus cœlum & terram, & omne uirgultum agri, omneḿq herbam regionis anteq̃ eſſet ſuper terram.) Superius ſeptem dies enumerati ſunt, nũc unus dies dicitur, quo fecit deus cœlũ & terrã, & omnẽ herbam regionis, & omne uirgultum. Huius diei nomine ſecundũ prophetiã omne tẽpus huius uitæ ſignificatur, in quo cœlũ & terra factũ eſt, id eſt in quo creaturę uiſibiles diſponũtur, adminiſtrã tur atq ſubſiſtunt. Sed quid ſibi uult, quòd nunc no minato cœlo & terra, adiecit uirgultũ agri, & herbã regiõis, & tacuit cętera quę ſunt in cœlo et in ter ra, uel etiam in mari, niſi quod per uirgultũ agri in uiſibilem creaturã demõſtrat intelligi, ſicut eſt an i ma? Dicta autẽ eſt uirgultum propter uigorẽ uitæ, herba propter eandem uitã nunq̃ marceſcentẽ. De inde q̃d addit, Anteq̃ eſſet ſuper terram.) intelligi tur anteq̃ anima peccaret. Terrenis enim cupidita tibus ſordidata, tãquam ſuper terrã nata, uel ſuper

terrā esse recte dicitur. Vnde adiecit: Nōdum eīm pluerat de⁹ super terram.) quasi aperte diceret: Anteq̄ peccaret anima, nondum nubibus scripturarū pluuiam doctrinę dominus ad animā irrigandam cōcesserat. Nondum propter hominē qui est terra, dominus noster nubilum carnis nostræ assumpserat, per quod imbrem sancti EVANGelij largissimū infudit. Quod uero subiunxit, Et homo non erat qui operaretur terram:) qa nullus homo operatus est in uirginē unde natus est CHRISTVS. Ipse est em̄ lapis de monte abscisus sine manibus, id est absq; coitu & humano semine de uirginali utero quasi de monte humanæ naturę & substantia carnis abscisus. Sed fōs ascēdebat de terra, irrigās uniuersam superficiē terrę.) Terra mater domini uirgo Maria rectissime accipit: de qua scriptum ē: Aperiatur terra & germinet saluatorē. Quam terram irrigauit spiritus sanctus, qui fontis et aquę nomine in euāgelio significatur. Formauit igit̄ deus hominem de limo terræ.) id est, factus est Christus iuxta quod ait Apostolus: Ex semine Dauid secundū carnem, tanq̄ de limo terræ. Et inspirauit in faciem eius spiraculum uitę.) utiq; infusiōe sancti spiritus. q operat⁹ est hominē CHRISTVM. Et factus est homo in animam uiuētem, scilicet ut qui perfectus erat deus, perfectus crederetur & hō.

DE PARADISI CONDITIONE uel hominis. CAP. III.

PLantauerat autē dominus deus paradisum uoluptatis à principio, &c.) Paradisus ecclesia est. Sic enim de illa legitur in Canticis canticorum: Hortus conclusus soror mea. A principio

parad

paradisus plantatur, quia ecclesia catholica a Christo, qui est principium omnium condita e͠e cognoscitur. Fluuius de paradiso exiens, imaginē portat Christi de paterno fonte fluentis, qui irrigat ecclesiam suam uerbo prædicationis & dono baptismatis. De quo bene per prophetam dicitur: Dominus deus noster fluuius gloriosus exiliens in terram sitientem. Quatuor autem paradisi flumina, quatuor euangelia sunt, ad prædicatiōem in cunctis gentibus missa. Ligna fructifera, omnes sancti sunt, fructus eorum, opera eorꝫ. Lignum uitæ sanctus sanctorum utiq; CHRISTVS, ad quem quisq; si porrexerit manum, uiuet in æternum. Lignum autem scientiæ boni & mali, propriæ est uolūtatis arbitrium: quod in medio nostri est positum ad dinoscēdum bonum uel malum, de quo qui derelicta gratia dei gustauerit, morte morieť. Tulit ergo deus hominem, & posuit eū in paradisum.) Assumpsit deus carnē, & factus est caput ecclesię. Vt operaretur & custodiret illum.) Id est ut uolūtate patris ex omnibus gentibus ecclesiā adimpleret, atq; ut impleretur sermo quem dominus dixit: Ego seruabā eos in nomine tuo, quos dedisti mihi custodiui.

Dixit quoq; deus: Non est bonū e͠e hominē solū.) Arguanť hæretici qui Chr̄m solū hominē putant, & nō etiam deū. Faciamꝰ ei adiutorē similē.) q͞a in ipso homine suscepto, ecclesia deo copulata est.

Appellauit aūt Adā noībus suis cuncta animantia & uolatilia cœli et bestias terrę:) significās gentes quę salue fierētin ecclesia, et p̄ Chr̄m nomen erāt accepturæ, q̄d prius nō habuerāt, sicut scriptū est: Et uocabo seruos meos noīe alio. Adā uero nō

inuenie

inueniebatur ei⁹ adiutor similis.) utiq; quã quantũ uis fidelis aut iustus sit quisq;, Christo tñ ęquari nõ potest. Quis enim inquit Moses similis tibi in dijs domine? Nam & Dauid ait: Speciosus forma prę fi lijs hominum. Nemo enim poterat à morte genus hominum liberare, & ipsam mortem superare nisi Christ⁹, sicut Apocalypsis ait: Nemo inuẽtus est dignus, neq; in cœlo, neq; in terra, neq; infra terrã aperire librum. Immisit ergo deus soporem in Adam: cumq; obdormiuisset, tulit unam de costis eius, et ædificauit costam quã tulerat de Adam in mulierem.) Dormiuit Adam & fit illi mulier de late re, quia patitur Christus, dormit in cruce, pũgitur latus lancea, & perfluunt sacramẽta, ex quibus for matur ecclesia. Hanc dormitionem cantat per pro phetam dicẽs: Ego dormiui & quieui & resurrexi, quoniã dominus suscitauit me. Sequitur: Et posuit carnẽ pro ea:) sicut & CHIRSTVS carnẽ su am moriẽdo posuit in patibulo crucis pro ecclesia. Dixitq; Adã: Hoc nũc os ex ossibus meis, et caro de carne mea:) quia siue sancti spirituales et fortissimi in tentationibus, siue minus perfecti, utriq; unum corp⁹ Chrĩ sunt, & una ecclesia. Hæc uocabitũ uirago, quoniã de uiro sumpta est:) Sic & à Christo ecclesiæ nomen datum est Christianũ, quia de eius latere sumpta est. Hæc igitur omnia facta sunt in fi gura, quæ erãt in ecclesia ꝑfutura. Quã ob rẽ re linquet homo patrem suum & matrem, & adhęre bit uxori suæ, & erũt duo in carne una.) Hoc inter pretans Apostolus ait: Hoc autẽ dico in Christo & in ecclesia. Ergo quod per historiam completum est in Adã, per prophetiam significatur in Christo,

qui reliquit patrem cum dicit: Ego à patre exiui, & ueni in hunc mundum. Reliquit & matrem, id est synagogam ueteri testamento carnaliter inherentem, quæ illi erat mater ex semine Dauid secundũ carnem. Et adhæsit uxori suæ, id est ecclesiæ, ut pace noui testamenti essent duo in carne una: quia cũ sit dominus apud patrem per quẽ facti sumus, factus est per carnem particeps noster, ut illius capitis corpus esse possimus. Post hoc uocatur Eua uita & mater uiuorũ, quæ de uiri sui latere facta est. Et dicit dominus in Euangelio: Si quis non mãducauerit carnem meam & biberit sanguinem meũ non habebit in se uitam.

De præceptis dei, & persuasione serpentis, Cap. IIII.

IAm dehinc præceptũ quod accepit figuraliter Christus, nos accipimus in illo: quia unusquisque Christianus nõ incongrue gestat personã CHRISTI, dicente ipso domino: Quę fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. Dicitur ergo illi. Ex omni ligno paradisi comedes.) quo significantur spirituales deliciæ: fructus autem spiritus, est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, continentia, sicut dicit Apostolus: Et non tangamus lignũ in medio paradisi plantatũ scientiæ boni & mali: id est non uelimus superbire de natura arbitrij nostri, quæ media est, ut decepti post scientiam experiamur & malũ. Serpens autem ille sapientior omniũ bestiarũ indicat diabolum: qui inde serpens dicitur, quod uolubili uersetur astutia. Sed quid est quod ipse per mulierem decepit & non per uirum? Quia non potest ratio nostra seducia

ci ad peccandum nisi præcedente delectatiõe carnali infirmitatis affectu, qui magis debet obtemperare rationi, tanquam uiro dominãti: Hoc enim iu unoq̃q; homine geritur in occulto quodã secretoq; conjugio. Suggestionẽ quippe serpentẽ accipim⁹: mulierem uero animalẽ corporis sensum: rationem autem uirum. Ergo quando occurrit mala suggestio, quasi serpens loquitur: sed si sola cogitatio oblectetur illius suggestioni, & refrenante ratione cõsensus explendi operis nõ succedat, sola mulier uidetur comedisse illicitum. Quod si ipsum peccatum etiam & mens perpetrandũ decernat, iam uir deceptus est, iam mulier cibum dedisse uiro uidetur. Illecebræ enim consentire, de ligno prohibito manducare est. Tunc quippe iure à uita beata tanquam à paradiso expellitur homo, peccatumq; ei imputatur etiamsi nõ subsequatur effectus: qa & si non est in factis culpa, in cõsensione tamẽ rea tenetur conscientia. Hæc secundum anagogen: cæterum iuxta metaphoram poterit callidus serpens iste hæreticorum uersutiam designare: Nõnulli enim loquacius atque subtilius promittũt illicita curiositate secretorum adapertionem atq; sciẽtiam boni et mali, & in ipso homine tanquã in arbore quę plantata ẽ in medio paradisi, eam dinoscentiam demõstrare. Contra hunc serpentem clamat Apostolus cum dicit: Metuo ne sicut serpens Euã seduxit astutia sua, sic sensus uestri corrumpãtur. Seducitur autem uerbis huius serpentis carnalis uestra concupiscentia, & per illam decipitur non Christianus. Dicit ergo iste ad mulierẽ: Cur pręcepit uobis deus, ut nõ comederetis ex omni ligno paradisi?) Sic & hę

& hæreticorum curiosa cupiditas, sic praui prædicatores ad diligendam erroris fallaciam, auditorum carnalium corda succendunt dicentes: Quare fugitis scientiam habere latêtem. Noua semper exquirite: boni maliq; scientiam penetrate. Vnde apud Salomonem mulier illa hæreticorum speciem tenês, dicit: Aquæ furtiuę dulciores sunt, & panis abscõditus suauior. Subiecit deinde idem serpens:

Quacunque die comederitis, statim aperientur oculi uestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malũ.) Sic omnes generaliter hæretici diuinitatis meritum profitentur, atq; scientię pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos simpliciter credentes inueniunt. Et quia omnino carnalia persuadêt, quasi ad carnalium oculorum adapertioem conãtur adducere, ut interior oculus obscuretur.

DE PECCATO primorum hominum siue supplicio. Cap. V.

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignũ, tulitq; de fructu illius & comedit mulier.) Mulier comedit antea, non uir: ideo quia facilius carnales persuadêtur ad peccatum: nec tã uelociter spirituales decipiuntur. Et dedit uiro suo et comedit.) utiq; qa post delectationẽ carnalis cõcupiscentię nostrę, etiã ratio nostra subijcitur ad peccandũ. Cũq; cognouissent se eẽ nudos, cõsuerũt folia fici: inde se contegũt) foliis fici se cõtegunt q secl'm asperũ amp'ectunt, qui prurigine uoluptatis carnal' utunt, quiq; decepti hęretica prauitate, et gratia dei nudati, tegumẽta mẽdaciorum tan-

 q̃ folia



quam folia fici colligunt,faciētes sibi succinctoria prauitatis:cum de domino uel ecclesia mentiūtur. Cum'q; audissent uocē dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiē.) Deambulat deus in illis & non stat: qui stabiles in præcepto nō perseuerāt. Et bene ad auram post meridiem:quia iā ab eis aufertur lux illa feruentior ueritatis appropinquantibus errorꝫ tenebris. Abscondere se à facie dei in medio ligno paradisi.) In medio nanq; ligni se abscondunt, qui auersi à præcepto creatoris in erroris atq; arbitrij sui uoluptatibus uiuūt. Vocauitque deus Adam dicens: Vbi es?) Hic ostendit quia si qui à fide uel bonis operibus ad mēdacia sua desideria q; labuntur , non despicit illos deus, sed adhuc ut redeant,per pœnitentiā uocat, quia nō uult mortem peccatoris,sed ut conuertatur & uiuat. Ergo non est desperandum quibuslibet peccatoribus, dum & ipsi impij ad spē indulgentię prouocantur. Dicitur aūt post hæc serpēti. Maledictus eris inter omnia animantia:super pectus tuū & uentrē gradieris.)Nomine pectoris significatꝰ superbia mētis. Nomine aūt uentris significantur desideria carnis. His enim duabus rebus serpit diabolus per eos quos uult decipere,id est,aut terrena cupiditate et luxuria,aut superbiæ insana ruina. Et terrā manducabis.) id est ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis. Omnibus diebus uitæ tuæ.) Id est omni tempore quo agis hanc potestatem ante illam ultimam pœnam iudicij. Inimicitias ponā inter te & mulierem,& semen tuū,& semen illius.) Semen diaboli peruersa suggestio est: semen autē mulieris,fructus est boni operis,quo peruersæ suggestioni

gestioni resistitur. Ipsa caput illius conterit, si eum mens in ipso initio malæ suggestionis exclu dit. Ille insidiat calcaneo eius: quia mentem quam prima suggestione non decepit, decipere in fine cõ tẽdit. Quidã autem hoc quod dictum est, Inimi citias ponã inter te & mulierẽ.) de uirgine in qua dominus natus est, intellexerũt: eo ꝙ illo tempore ex ea dominus nasciturus ad inimicũ deuincendũ et mortem cuius ille autor erat, destruendã promit tebatur: sicut in Dauid scriptum est: De fructu uen tris tui ponam super sedẽ tuam. Nam & illud quod subiunctum est, Ipsa cõteret caput tuũ, & tu in sidiaberis calcaneo eius.) hoc de fructu uẽtris Ma riæ intelligitur, qui est CHRISTVS: id est tu eũ supplantabis ut moriatur: Ille autem te uicto resur get. Et caput tuum conteret.) quod est mors: si cut & Dauid dixerat ex persona patris ad filiũ: Sup aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis le onem & draconem. Aspidẽ dixit mortem, basiliscũ, peccatũ: leonem Antichristũ, draconẽ diabolũ. De pœna autẽ mulieris quid significat quod ei dicit,

In dolore paries filios.) nisi quia uoluntas carna lis cũ aliquam malam cõsuetudinem uult uincere, paritur in exordio dolores: atq; ita p meliorem cõ suetudinem parit bonum opus quasi filios? Quod uero adiecit, Et conuersio tua ad uirũ tuũ, & ipse tui dominabitur.) hoc significat, quod illa uolun tas carnalis quæ cum dolore reluctatur ut faciat consuetudinem bonam, iã ipsis erudita doloribus, cautior fit, et ne corruat obtemperat ratiõi: & libẽ ter seruit quasi uiro iubenti. Vocaturq; dehinc ma ter uiuoꝝ, id est recte factoꝝ, qbus contraria sunt

peccata, quæ nomine mortuorũ significãtur. Iam uero per sententiam quæ in uirũ infertur, ratio nostra arguitur, quę & superata peccati concupiscentia seducta est, & à paradiso beatitudinis remota, habet maledictiones terrenę opatiõis: habet & dolores tẽporaliũ curarũ quasi spinas & tribulos. Sic tamen dimittitur à paradiso beatitudinis ut operaretur terram, id est ut in corpore isto laboret & collocet sibi meritum redeũdi ad uitam beatam, quæ paradisi nomine significatur: possitq; aliquãdo manum porrigere ad arborem uitæ, & uiuere inæternum. Manus autem porrectio, bene significat crucem pœnitentiæ, per quam uita æterna recuperatur. Accepit etiam tunicã pelliceã diuino iudicio, quo nomine corporis mortalitas significatur in historia: in allegoria autẽ carnalibus sensibus abstractæ uoluptates, quæ carnaliter uiuentem diuina lege consequunť & contegunt. Qui si aliquando ad deum se conuerterit per flammeam frameam, id est per tẽporales tribulationes peccata sua cognoscendo & gemẽdo: & per cherubin id est plenitudinem scientiæ, quod est charitas, perueniet ad arborem uitæ CHRISTVM & uiuet inęternum. Cherubin nanq;, plenitudo scientię interpretať: framea uero uersatilis posita ad custodiendã uiam ligni uitæ, temporales pœnæ intelligũtur. Nemo enim potest peruenire ad arborem uitæ, nisi per has duas res, tolerantiam uidelicet molestiarum & scientiæ plenitudinem: id est per charitatẽ dei & proximi: Plenitudo enim legis charitas est.

DE CAIN, ET ABEL eorumq; progenie. Cap. VI.

Adam

ADam uero cognouit uxorem suã, quę concepit et pepit Cain. Rursumq́ peperit fratrem eius Abel.) Natiuitas duorũ filiorũ Adam, similitudinem habet duorum populorum, q erant diuisis temporibus ad fidẽ uenturi pari opere, & dissimili charitate ante deum. Fuit autem Abel pastor ouiũ, & Cain agricola.) Sed sicut Cain ex terræ fructibus reprobatur, Abel autem sacrificium, ex ouibus & eorũ adipe suscipitur, ita noui testamenti fides ex innocentiæ gratia deum laudãs, ueteris testamenti terrenis operibus anteponitur.

Dixit deus ad Cain. Si recte offeras, & recte nõ diuidas, peccasti uti qꝫ.) quia & si antea Iudęi recte illa fecere, in eo tamen infidelitatis rei sunt, quod CHRISTO ueniente iam tempus noui testamẽti à tempore ueteris testamenti non distinxerunt. Quia si obtemperasset Cain deo dicẽti: Quiesce, sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.) ad se cõuertisset peccatum suum, sibi hoc tribuẽs, & confitens deo: ac sic adiutus per indulgẽtię gratiam, ipse peccato suo damnaret: non illo sibi dominante seruus peccati, fratrẽ occideret innocentem. Sic & Iudæi in q̃rũ hoc figura gerebatur, si qescerent à sua perturbatione, & tempus salutis per gratiam in peccatorũ remissionẽ cognoscentes, audirent Chr̃m dicentem: Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores in pn̄iam: tunc ad se cõuertere pc̄tũm suum in confessione: sicut in psalmo scriptũ est ad medicum dicentes: Ego dixi domine miserere mei: sana animam meã quia peccaui tibi: eidemq́ peccato q̃diu esset adhuc in eorum mortali corpore, per spem gratiæ liberi dominarent. Nũc autẽ igno



rantes dei iustitiam, & suam uolentes constituere, elati de opibus legis, nõhumiliati de peccatis suis, non quieuere, sed offenderunt in lapidem offensionis, & exarserunt iracundia aduersus Christum, cuius opera uidentes deo accepta esse doluerunt. Itaq; post hoc occiditur Abel minor natu, à fratre maiore natu. Occiditur CHRISTVS caput populi minoris natu, à populo Iudęorum maiore natu. Ille in campo, iste in Caluarię loco. Interrogat deus Cain non tanq̃ ignorans eum à quo discat: sed tanquam iudex reum quem puniat, & dicit ubi sit frater eius, Respõdet ille nescire se: nec eius se esse custodem. Vsq; nũc quid nobis respõdẽt Iudæi, cũ eos dei, hoc est sanctarũ scripturarum uoce interrogamus de CHRISTO? Illi nescire se Christũ respondent: fallax em̃ Caĩ ignoratio, Iudęorũ est falsa negatio. Essent aũt q̃dammõ Chrĩ custodes, si Chrĩanã fidẽ accipere & custodire uoluissent. Dixit deus ad Cain. Quid fecisti? uox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.) Sic arguit in scripturis sanctis uox diuina Iudæos: Habet enim magnã uocem CHRISTI sanguis in terra, cum eo accepto ab oĩbus gentibus respondetur amen. Hęc uox clara, uox sanguinis: qm̃ sanguis ipse exprimit ex ore fidelium, eodẽ sanguine redemptorum. Dicit deus ad Cain. Maledictus eris à terra quę aperuit os suũ & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.) Maledictus est enim populus Iudęorum infidelis à terra, id est ab ecclesia quæ aperuit os suum in confessione peccatorũ, accipere sanguinẽ CHRISTI, q effusus est in remissionẽ pctõrum omniũ, de manu persecutoris nolẽtis esse sub gratia, sed sub lege, ut

eſſet ab eccleſia maledictus: id eſt ut oſtēderet eā eccleſia maledictum teſtificante Apoſtolo:Quicūq; eñ ex opib⁹ legis ſunt,ſub maledicto ſunt legis.

Cum operatus fueris eam, nō dabit tibi fructus ſuos.) In ipſa enim terra quam CHRISTVS portauit,id eſt in eius carne ipſi operati ſunt ſalutē noſtrā crucifigendo Chriſtū,qui mortuus eſt propter delicta noſtra: nec tamen dedit eis eadē terra uirtutem ſuam,qa non iuſtificati ſunt uirtute reſurrectionis eius: qui reſurrexit propter iuſtificatiōem noſtram:qui & ſi crucifixus eſt ex infirmitate,ſed uiuit in uirtute dei.Hæc ē ergo uirtus terræ illius quā non oſtendit impijs & incredulis: unde nec reſurgens eis à quibus erat crucifixus,apparuit, tanquā Cain operanti terram,ut granum illud ſeminaret.

Vagus & profugus: ſiue ut in Septuaginta ſcriptum eſt,gemens & tremens eris in terra.)Nunc ecce quis non uideat, quis nō agnoſcat in totam terram quacunq; diſperſus ille populus,quomō ſit uagus in gētibus, & profugus ab Ieruſalem: q̃modo gemat mœrore amiſſi regni, & tremat timore ſub innumerabilib⁹ populis Chrianis? Ideoq; reſpōdit Cain dicens. Maior eſt iniquitas mea, q̃ ut ueniā merear.Ecce eijcis me hodie à facie terrę, & à facie tua abſcōdar,& ero uagus & profugus in terra. Igitur omnis qui inuenerit me,occidet me.) Vere inde uagus & profugus,gemit & tremit, ne regno etiā terreno perdito,iſta uiſibili morte occidatur. Hanc dicit maiorem cauſam quam illā,quòd ei terra noſtra non dat uirtutē ſuā,ne ſp̄ualiter moriatur.Carnaliter enim ſapit,& abſcondi à facie domini,id eſt iratum habere deum, graue non putat, ſed hoc ti-



met ne inueniatur, & occidatur. Carnaliter enim sa pit tanq̃ operans terram, cuius uirtutem non accipit. Sapere autem secundum carnem, mors est: q̃d ille non intelligens, amisso regno gemit, & corporalem mortem tremit. Sed quid ei respondit deus? Nequaq̃ ita fiet, sed oĩs qui occiderit Cain, septuplũ punietur, siue ut Septuaginta transtulerũt, septem uindictas exoluet, id est auferet,) id est non sic quomodo dicis: nõ corporali morte interibit genus impium carnalium Iudæorum. Quicũq; eos ita perdiderit, septem uidictas exoluet, id est auferet ab eis septem uindictas quibus alligati sunt propter reatũ occisi CHRISTI. Hoc toto tempore quod septenario dierum numero uoluitur, magis q̃ non interit gens Iudæa, satis appareat fidelibus Christiãis, sed solam dispersionem meruerint: iuxta quod ait scriptura: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuę: disperge illos in uirtute tua, & destrue eos.

Posuit deus Cain in signum, ut non eum interficeret omnis qui inuenisset eum.) Hoc reuera mirabile est, quemadmodũ omnes gentes quę à Romanis subiugatę, sunt in ritum Romanorum sacrorum trãsierint: ea q; sacrilegia obseruanda & celebranda susceperint: gens autem Iudæa, siue sub paganis regibus, siue sub Christianis, nõ amisit signum legis & cicuncisionis suæ, quo à cæteris gẽtibus populisq; distinguitur: sed et omnis imperator uel rex q eos in regno suo inuenit, cum ipso signo eos inuenit nec occidit. Exijt ergo à facie domini, & habitauit in terra Nait.) quod dicitur interpretatum cõmotio siue instabilis & fluctuans, & sedis incertæ. Contra quod malũ deus rogatur in psalmo: Ne dederis in motum

motum pedes meos,& manus pctõrum nõ moue ant me. Nũc uero Iudæi & omnes qui diuersis erro ribus contumaces fiunt resistendo ueritati,exeunt à facie dei, id est à misericordia dilectionis uel participatione lucis eius, & habitant profugi in terra cõmotionis, id est in perturbatione carnali contra iocunditatẽ dei,hoc est cõtra Eden,quod interpretatur epulatio: ubi est plantatus paradisus. Cognouit aũt Cain uxorem suam, & cõcepit & peperit Enoch:& ędificauit Cain ciuitatem.) Quid ergo sibi per figurã uult quod impiorꝫ progenies ciuitatem in ipsa mũdi origine cõstruxit,nisi q̃d noueris impios in hac uita esse fundatos: sanctos uero hospites esse & peregrinos? Vñ & Abel peregrinus in terris, populus Christianus non cõdidit ciuitatem Superna est enim sanctorum ciuitas: quamuis hic pariat ciues in quibꝰ peregrinat̃, donec regni eius tempꝰ adueniat. Aedificauit aũt ex nomine filij sui Enoch.) Iste filius in cuius nomine condita est, Enoch,id est terrestris Ierusalem, quę interpretatur possessio, significat istam ciuitatẽ & initiũ & finẽ habere terrenum, ubi nihil plusq̃ quàm cernit̃ sperat̃. Porro Enoch genuit Irad,& Irad genuit Mauiel,& Mauiel genuit Matusaël,& Matusaël genuit Lamech: q accepit duas uxores,nomen uni Ada,& nomen secũdę Sella.) Notandum autẽ quod in progenie Seth nulla ibi ꝓgenita fœmina nominatim exprimit̃, nisi tm̃ in progenie Cain fœia cõmemoratur,q̃d significat terrenam ciuitatẽ usq; sui in finẽ carnales habituram generatiões,q̃ maritorꝫ & fœminarum coniunctione proueniũt. Dixit q̃q; Lamech uxoribus suis: Audite uerba mea,& ausculta-

ꝶ sermo



te sermonem meum:quoniam occidi uirum in uulnus & adolescentulum in liuorem meum, Septies uindicabitur de Cain: de Lamech autẽ septuagies septies.) Iam alibi secundũ historiam dictum ẽ, eo quòd ab Adã usq; ad CHRISTVM septuaginta & septẽ generatiões inueniantur:in quibus peccatum Lamech,id est totius mundi sanguinis Christi effusione solutum est. Siquidem & in populo Iudeorũ propter interfectionem Christi,septuaginta & septẽ uindictę sunt statutę,iuxta illud EVANGElium in quo dictum est Petro apostolo:Non solum septies,sed usq; septuagies septies si pœnituerit,fratri remittendum:id est Iudæum reuertentẽ post septuaginta& septem uindictas statutas,recipiendũ ad indulgẽtiam Christi. Cognouit quoq; adhuc Adam uxorem suam,& peperit filiũ:uocauit'q; nomen eius Seth:sed & Seth natus est filius,quem uocauit Enos.) Seth quippe interpretatur resurrectio qui est Christus:Et Enos filius ei⁹ interpretatur homo. Qui cœpit inuocare nomen domini.)Quid hoc intelligitur, nisi q̃d in cõfessione uiuit omnis homo q est filius resurrectiõis, q̃diu peregrinatur in terris? Itẽ ex duobus illis hominibus, Abel quod interpretatur luctus,& eius fratre Seth,quod interpretat̃ resurrectio,mors Christi et uita eius ex mortuis figuratur.Ergo ut breuius dicam, Abel luctus: Seth resurrectio:Enos homo: quia post luctũ resurrectio,de resurrectiõe homo inuocans deũ Itẽ Enos genuit Cainan. Cainan autẽ genuit Malalehel Malalehel autem genuit Iareth.Iareth autẽ genuit Enoch.) Hic aũt Enoch septimus ab Adam qui placuit deo & trãslat⁹ est,septimã requiem significat,

ad quam transfertur omnis qui tanq̃ sexta die formatus, id est sexta ætate seculi per CHRISTI aduentum formatur. Transactis enim septem milib⁹ annis, facto etiam iudicio, & renouatis cœlo ac terra, transferentur sancti in uitam perpetuæ immortalitatis. Quod aũt per Seth ab Adam usq; ad Noë denarius numerus insinuatur, complemẽtum mãdatorꝝ in ecclesiæ operibus figuratur. Cui numero si adijciuntur tres filij Noë medio reprobato, duodenarius consummat̃, qui in patriarcharꝝ & apostolorũ numero insignis habetur, propter septenarij partes, altera per alteram multiplicatas. Nanq; ter quaterni uel quater terni ipsum faciunt. Quod uero progenies ex Adam per Cain undenario numero finitur, transgressio mandatorꝝ siue peccatũ ostenditur. Nam dum Lamech septimus ab Adam reperiatur scriptus, addũtur ei tres filij & una filia, ut undenarius numerus compleatur: per quod demonstretur pc̃tũm. Nam & ipse numerus à fœmina clauditur, à quo sexu initiũ peccati cõmissum ẽ: per quod oẽs morimur: scilicet ut uoluptas carnis quæ spiritui restiterat, sequeretur. Vnde & ipsa filia Lamech Noemma, id est uoluptas interpretat̃. Nã quod Mathusalẽ secũdũ Septuaginta ultra diluuiũ numerãtur anni, ut q̃m solus est Christus, cuius uita nullam sentit ætatẽ, nisi maioribus quoq; illis nõ sensisse diluuium uideretur.

DE ARCA siue de diluuio mundi, Cap. VII.

NOë autem per omnia oẽsq; actus eius Christum significat. Noë enim requies interpretatur. Et domin⁹ dicit: Discite à me quia mitissum



tis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Solus iustus inuenitur Noë in illa gẽte, cui septem homines donãtur propter iustitiam suam. Sol⁹ iustus est CHRISTVS atq; perfectus, cui septem ecclesiæ propter septemplicem spũm illuminatẽ in unã ecclesiã condonãtur. Noe p aquã & lignũ liberatur. Lignum quippe & aqua crucem designãt & baptisma. Sicut enim ille cũ suis p aquã & lignum saluat, sic familia Christi per baptismũ & crucis passionem signatur uel sanatur. Arcam instruxit Noe de lignis nõ putrescẽtibus: ecclesia cõstruitur à CHRISTO ex hominibus in sempiternum uicturis: Arca enim ista ecclesiam demonstrabat, quæ natat in fluctibus huius mundi. Quod autem eadẽ arca de lignis quadratis fieri iubetur, undique stabilem uitam sanctorũ significat, ad omne opus bonum paratã. Quacunq; enim uerteris quadratum, firmiter stabit. Quod bitumine glutinantur arcę ligna intrinsecus & extrinsecus, ut in cõpage uirtutis significetur tolerantia charitatis, ne scãdalis ecclesiã tentantibus siue ab his qui intus sunt, siue ab his qui foris sunt, cedat fraterna iũctura, & soluatur uinculum pacis. Est enim bitumen feruẽtissimum & uiolentissimum gluten, significans dilectiõis ardorem in magna fortitudinis, ad tenendam societatem spiritualem omnia tolerãtẽ. Quod arca trecentis cubitis longa est, ut sexies quinquaginta cõpleatur: sic sex ætatibus omne huius seculi tempus extẽditur, in quibus omnibus Christus nunq̃ destitit prædicari. In quinta per prophetiam prænuntiatur: in sexta per euãgelium diffamatur. Potest quidem & in his trecentis cubitis signum ligni pas

gni passionis ostēdi: Ipsius enim literæ T numerus crucis demonstrat signū: per quod socij Christi pas siōis effecti per baptismum, longitudinē uitę ęternæ adipiscimur. Quod uero cubitis quinquaginta latitudo eius expanditur, sicut dicit Apostolus: Cor nostrum dilatatum est: unde nisi charitate spiritua li? Propter quod ipse iterū dicit: Charitas dei diffusa est in cordib9 nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quinquagesimo enim die post resur rectionem suam CHRISTVS spiritum sanctum misit, quo corda credētium dilatauit. Quod autem eius altitudo triginta cubitis surgit, quē numerum decies habet in trecentis cubitis longitudo, quia Christus est altitudo nostra, qui triginta annorum ætatem gerens, doctrinam euangelicam consecrauit: contestans legem non se uenisse soluere, sed adimplere. Legis autē cor in decem præceptis agnoscitur, unde decies tricenis cubitis arcæ longitudo perficitur. Vnde & ipse Noe ab Adam decimus cōputatur. Quod sexies longa ad latitudinem, & decies longa ad altitudinem suam, humani corporis instar ostendit, in quo Christus apparuit. Corporis enim longitudo à uertice usq; ad uestigia sexies tantum habet q̄ latitudo quę ē ab uno latere ad alterū latus, & decies tantum q̄ altitudo, cuius altitudinis mensura est in latere à dorso ad uentrem, uelut si iacentem hominem metiaris supinum seu pronum, sexies tm̄ longus ē à capite usq; ad pedes, q̄ latus à dextra in sinistrā, uel a sinistra in dextrā, & decies q̄ altus à terra. Vñ facta est arca trecentorum in lōgitudine cubitorū, & qnquaginta in latitudine, & triginta i altitudine. Itē q̄d eadē arca collecta in unū cubitū



cubitum desup cõsummat̃:sic ecclesia corpus Christi in unitate collecta sublimat̃ & perficitur: Vnde dicitur in Euangelio: Qui mecũ non colligit, spargit. Quod autem aditus ei fit à latere: nemo quippe intrat in ecclesiã nisi p sacramẽtũ remissionis pctõrum, quod de Christi latere apto manauit. Quod inferiora arcæ bicamerata & tricamerata construuntur, sic ex omnibus gentibus uel bipartitam multitudinem cõgregat ecclesia, propter circuncisionẽ & præputium: uel tripartitam propter tres filios Noë quorum progenie repletus est orbis. Et ideo arcę inferiora ista dicta sunt: quia ĩ hac terrena uita, est diuersitas gẽtium. In summo autẽ omneis in uno consummant̃, & nõ est ista uarietas: quia omnia & in omnibus CHRISTVS est, tanq̃ nos uno cubito, desuper cœlesti unitate consummans. Quod cũcta animaliũ genera includũtur in arca, significat quia ex omnibus gentibus & nationibus congregatio fit in ecclesia: quòd etiam Petro demonstratus discus ille significat. Quod munda & immunda ibi sunt aĩalia, sicut in ecclĩę sacramẽtis et boni & mali uersantur. Quod septẽa sunt mũda, & bina immunda, nõ quia pauciores sunt mali q̃ boni, sed quia boni seruant unitatem spiritus in uinculo pacis. Secundum aũt spiritum diuina scriptura in septiformi opatione cõmendat̃, sapientiæ & intellect⁹, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris dei. Vnde & ille numer⁹ quinquaginta dierum ad aduentũ sancti spiritus pertinens, in septem septenis qui fiunt quadraginta nouem uno addito, consummatur: Propter quod dictum est: Studentes seruare unitatem spũs, in uinculo pacis, Mali autem

n binario numero ad schismata faciles, & quodāmodo diuisibiles ostenduntur. Quod ipse Noë cum suis octauus numeratur, quia CHRISTO spes resurrectionis nostræ apparuit, qui octauo die, id est post sabbati septimum, resurrexit primus à mortuis: qui dies à passione tertius, in numero autem dierum qui per omne tempus uoluūtur, & octauus & primus est. Quod post septem dies ex quo ingressus est Noe in arcam, factum est diluuiū, quia in spē futurę quietis, quę septimo die significata est, baptizamur. Quod pręter arcam omnis caro quam terra sustentabat diluuio consumpta est, quia præter ecclesiæ societatem aqua baptismi quāuis eadem sit, non solum non ualet ad salutem, sed ualet potius ad perniciē. Quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus pluit, quia omnis reatus peccatorum in decē præceptis legis admittitur p uniuersum orbem terrarum, qui quatuor partibus cōtinetur. Decem quippe quater ducta, quadraginta fiunt, siue ille reatus quod ad dies pertinet ex rerum prosperitate, siue quod ad noctes ex rerum aduersitate cōtractus sit, sacramento baptismi cœlestis abluitur.
Quod Noe quingētorum erat annorum cum ei locutus est dominus ut arcam sibi faceret, & sexcentos habebat annos cum in ea fuisset ingressus, unde intelligitur p centū annos arca fabricata: Quid aliud hic uidentur centum anni significare, nisi ętates singulas seculi? Vnde ista sexta ætas quæ cōplexis quingentis usq; ad sexcentos, significat in manifestatione euangelica ecclesiam construi. Et ideo qui sibi ad uitam cōsulit, sic, uelut quadratū lignū paratus sit ad omne opus bonum, ut intret in fabricam san

c



cam ſanctam: quia & ſecundus menſis anni ſexcẽ
teſimi quo intrat Noe in arcam, eandem ſenariam
ętatem ſignificat. Duo eñ menſes ſexagenario nu-
mero cõcludunt. A ſenario aũt nũero & ſexaginta
cognominant, & ſexcenti, & ſex milia, & ſexaginta
milia, & ſexcentena milia, & ſexcenties, & quicqd
deinceps in maioribus ſummis per eundem articu
lum numeris in infinita incremẽta cõſurgit. Et qđ
uiceſimus & ſeptimus dies menſis cõmemoratur,
ad eiuſdem quadraturæ ſignificantiã pertinet quę
iam in quadratis lignis expoſita eſt: Sed hic euidẽ-
tius: quia nos ad omne opꝰ bonũ paratos, id eſt q̃-
dãmodo cõquadratos trinitas pficiet: in memoria
qua deũ recolimus: in intelligentia qua cognoſci-
mus: in uolũtate qua diligimꝰ. Tria eñ & ter octo,
fiunt uiginti ſeptem: qui ẽ numeri ternarij quadra-
tus. Quod ſeptimo mẽſe arca ſedit, hoc eſt requi
euit, ad illam ſeptimam requiem ſignificatio recur
rit: & quia perfecti requieſcũt, ibi quoq; illius qua-
draturæ numerus iteratur. Nam uiceſima ſeptima
die ſecundi mẽſis cõmendatũ eſt hoc ſacramentũ:
& rurſus uiceſima & ſeptima die ſeptimi mẽſis ea-
dem confirmata eſt commẽdatio, cum arca requi-
euit. Quod eñ promittitur in ſpe, hoc exhibetur in
re. Porrò q; ipſa ſeptima requies cum octaua reſur
rectione coniungitur: neq; enim reddito corpore fi
nitur requies quæ poſt hãc uitam excipit ſanctos,
ſed potius totum hominem non adhuc ſpe, ſed iam
re ipſa omni ex parte ſpũs & corporis pfecta, et im
mortali ſalute renouatũ, inęternę uitę munus aſſu
mit. Quod ergo ſeptima reqes cũ octaua reſurrecti
one coniungitur: & hoc in ſacramentum regenerati

onis no

onis nostrę,id est in baptismo altum profundumq; mysterium est. Quod quindecim cubitis supercreuit aqua excedens altitudinem montiū:Octo itaq; & septē quindecim faciunt: sed octo signant resurrectiōem, septem quietem. Hoc igitur sacramentū resurrectionis & quietis transcendit omnē sapientiam superborū: ita ut nulla possit indagare scientiæ suæ altitudine,resurrectionis quietem. Et quia septuaginta á septem, & octoginta ab octo dinumerantur, coninucto utroq; numero centū quinquaginta diebus exaltata est aqua,eandem commendans nobis atq; confirmans altitudinem baptismi, in consecrando nouo homine, ad tenendam quietis & resurrectionis fidem. Quòd post dies quadraginta emissus coruus non est reuersus, aut utiq; intercept⁹, aut aliquo super natāti cadauere illectus, significat homines immūditia cupiditatis deterrimos,& ob hoc ad ea quæ foris sunt in hoc mundo intentos,aut rebaptizari, aut ab his qui pręter arcā sunt,id est pręter ecclesiam, quos baptismus occidit,seduci & teneri. Quòd columba emissa non inuenta requie reuersa est, ōndit per nouum testamētum requiē sanctis in hoc mundo non esse promissam. Post quadraginta enim dies emissa est:qui numerus uitam quæ in hoc mundo agitur significat. Deniq; post septē dies dimissa, propter illam septenariam operationem spūalem, oliuæ fructuosum surculum retulit:quo significaret nonnullos etiam extra ecclesiam baptizatos, si eis pinguedo nō defuerit charitatis, posteriore tempore in ore columbæ tanq̄ in osculo pacis,ad unitatis societatē posse perduci. Quòd post alios septem dies dimissa,non



est reuersa, significat finẽ seculi, quando erit sancto rum requies, non adhuc in sacramento spes quo in hoc tempore consociatur q̃diu uiuit, q̃d de CHRISTI latere manauit, sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cũ tradetur regnũ deo & patri: ut in illa perspicua contemplatione incõmutabilis ueritatis nullis mysteriis corporalibus egeamus. Cur sex centesimo & uno anno uitæ Noe, id ẽ pactis sexcẽtis annis aperitur tectum arcę? finita quippe sexta ætate seculi, reuelabitur absconditum sacramentũ atq; promissum. Cur uicesimo & septimo die secũdi mensis dicitur siccasse terra? tanq̃ finita esset iã baptizandi necessitas in numero dieꝝ quinquagesimo & septimo: Ipse est enim dies secundi mensis uicesimus septimus: qui numerus ex illa cõiunctione spiritus & corporis, septies octonos hebet uno addito propter unitatis uinculum. Cur de arca con iuncti exeant qui disiuncti intrauerũt: sic ẽm dictũ erat ꝗ intrauerint in arcam Noë & filij eius, uxor eius, uxores filiorũ eius, & seorsum uiri, seorsum fœminæ cõmemoratæ sunt, nisi quod in hoc tempore caro cõcupiscit aduersus spũm, & spũs aduersus carnem? Postmodum autem exeunt Noe, & uxor eius, & filij eius & uxores filioꝝ eius, hoc est coniũcti masculi & fœminę: Quòd in fine seculi atq; resurrectione iustoꝝ, omnimoda & perfecta pace spiritui corpus adhærebit, nulla mutabilitatis indigentia uel concupisceutia resistente. Quòd dantur eis in escã cuncta animalia: sicut in illo disco Petro dicitur: macta & manduca. Quòd deiecto sanguine iubentur mãducare, ne uita pristina quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeant tanq̃ effusionem

onem per confeſſiõem. Quòd uero teſtamentũ po ſuit deus inter ſe & homines,atq; omnem aĩam uiuam,ne pdat eam diluuio,arcũ ſcilicet qui apparet in nubibus,qui nunq̃ niſi de ſole reſplẽdet Illi enim non pereunt diluuio, qui in perfectis omnibus diuinis ſcripturis, tanquã in dei nubibus cognoſcunt CHRISTVM.

DE NOE ET BENEDICTIO nibus eius in filios. Cap. VIII.

IAm uero illud quòd poſt diluuiũ de uinea quã plantauit,inebriatus eſt Noë, & nudatus eſt in domo ſua,cui non appareat CHRISTI eſſe fi guram,qui inebriatus eſt dum paſſus eſt,nudatus eſt dũ crucifixus eſt:in domo ſua,id eſt in gente ſua & in domeſticis ſanguinis ſui,utiq; Iudæis? Tunc enim nudata eſt mortalitas carnis eius. Quam nudi tatem id eſt paſſionem CHRISTI uidens Cham, deriſit:& Iudæi Chriſti mortem uidẽtes,ſubſannauerunt. Sem uero & Iaphet tanq̃ duo populi ex cir cunciſione & præputio credentes, cognita nudita te patris qua ſignificabat̃ paſſio ſaluatoris,ſumentes ueſtimentum, poſuerunt ſuper dorſa ſua, & intrantes,auerſi operuerũt nuditatem patris: nec uiderunt quando uerenda texerũt: Quodam eñ mo do paſſiõem Chriſti uelamento tegimus, id eſt ſacramento honoramus: eiusq; myſterij rõnem reddentes,Iudæorũ detractionem operimus. Veſtimẽ tum enim ſignificat ſacramentum:dorſa memoriam præteritorũ:quia paſſiõem CHRISTI tranſactam,celebrat eccleſia:non adhuc proſpectat futu ram. Medius aũt frater Cham, id eſt impius popu

 lus Iu



lus Iudeorum,ideo medius,quia nec primatū Apostolorum tenuit, nec ultimus in gentibus credidit,uidit nuditatem patris,quia cōsensit in necem domini saluatoris. Post hæc nunciauit foras fratribus : per eū quippe manifestatū est, quod erat in prophetia secretum: Ideoq; fit seruus fratrum suorum : Quid est enim aliud hodie gens ipsa,nisi quædam scriniaria Christianorū,baiulans legem & prophetas ad testimonium assertiōis ecclesiæ: ut nos honoremus per sacramentū, quod nunciant illi per literā? Post hæc benedicūtur duo illi, qui nuditatem patris honorauerūt. Bñdictus,inquit,dominus deus Sem: sit Chanaan puer illius. Dilatet deus Iaphet:& habitet in tabernaculis Sē.) Hic Sem maior natu, ipse est ex quo patres & prophetæ & apostoli generati sunt:Iaphet autē gentium est pater, qui etiam latitudo interpretatur:Cū ingenti enim multitudine dilatatus est populus ex gentibus, qui cū prophetis & apostolis erat habitaturus. Siquidem & uidimus iuxta Noe patris propheticam benedictionē, in tabernaculo Sem transisse habitatiōem Iaphet: hoc est in domo legis & prophetarum ecclesiā potius iustificari:minorem quidem temporū euo, sed gratia & lege maiorem. Chā porro qui interpretatur callidus,id est medius filius tanquā ab utroq; discretus,nec in primitijs Israëlitarum,nec i plenitudine gentium permanens,significat non solum Iudęorum, sed hæreticorum genus callidum, non spiritu sapiētiæ,sed impatientiæ, quo solent hæreticorum feruere primordia,& pacē turbare sanctorū:sed & omneis qui Christiāo uocabulo gloriātur & perdite uiuūt, ipsius figuram gestare uidentur, Passionem quippe Chri

pe CRISTI quæ per illius hominis nuditatem significata est,& annuntiant bene profitendo,& male agendo exhonorãt. De talibus ergo dictum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ideo & Cham in filio suo maledictus est, tanq̃ in fructu suo, id est in opere suo. Vnde conueniẽter & ipse filius eius Chanaan, interpretatur motus eorum. Quid aliud qdẽ est, q̃ opus eorum? Item quòd Cham peccãte, posteritas eius damnatur, significat q reprobi hic quidem delinquunt, sed in posterum id est in futurum, sententiã damnationis excipiũt. Sed & plebs Iudaica quæ dominum crucifixit, etiam in filijs pœnam damnationis suæ transmisit: Dixerunt enim: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Benedictis ergo duobus filijs Noe, atq; uno eorum medio maledicto, deinceps generationes eorum texuntur, ex quibus septuaginta duę gentes sunt ortę, id est quindeci de Iaphet: triginta de Cham: uiginti septem de Sem.

DE NEBROTH GIGANTE ET confusione linguarum. Cap. IX.

PRimus post diluuiũ inter homines Nebroth filius Chus, noua imperij cupiditate tyranni dẽ arripuit: regnauitq; in Babylonia, quæ ab eo quod ibidem confusæ sunt linguæ, Babel appellata est, quod interpretatur confusio, cuius ædificãdæ turris, idem Nebroth extitit autor, quiq; pro eo quòd ultra naturam suam cœli alta penetrare contendit, non incongrue diabolo comparatur: qui cogitatione cordis sui intumescens, super sydera exaltare se uoluit: id est super oẽm potestatem angelo-




rum deo se coæquare disponens, dum dicit: Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Quod autē dicitur uenator, quid significatur hoc nomine, nisi animarū terrigenarū deceptor, & accipiens homines ad mortem? Turris eius, superbia huius mundi est, uel impia dogmata hæreticorum, qui postq̄ orti sunt, ab oriēte id est à uero lumine recesserunt. Et uenerunt in cāpum Sennaar.) qui interpretatur excussio dentium. Statim aduersus deum impietatis suæ ædificant turrem, ac dogmatum superbiam nefario ausu confingūt: uolentes curiositate non licita, ipsius cœli alta penetrare. Sed sicut illi per superbiam ab una lingua in multis diuisi sunt, ita & hæretici ab unita fideī confessione segregati, inter se diuersitate erroris, quasi per dissonātiam linguæ, inuicem discernuntur. Et quos armauit aduersus deum elatæ conspiratiōis perniciosa confessio, rursus intercidente dogmatū discordia, diuidit oborta repente confusio. Quos quidem ipsa trinitas damnat inquā offendunt: ipsa eos dispgit dum dicit. Venite & cōfundamus linguas eorum.) In uarietate utiq; erroris siue schismatum. Eo autem tempore quādo linguarū facta est uarietas, in sola domo Heber quæ antea fuit lingua, remāsit. Nunc quoq; in sola ecclesia, quæ est domus CHRISTI, unitatem esse confessionis & fidei pacem, diuisis omnibus reprobis atq; hæreticis, manifeste cōstat.

DE EGRESSV ABRAHAE à Chaldæis. Cap. X.

Deinde de actibus Abrahæ, uel de his quæ illi repromiserit deus exponendum: Loquitur

enim eidomin⁹. Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui.) Quis autem alius exiit in Abraham de terra sua & de cognatione sua, ut apud exteros locupletaret, & esset in gentem magnam nisi CHRISTVS, qui relicta terra & cognatiõe Iudæorũ, prępollet nũc, ut uidemus, in populis gentium? Sed & nobis ad exemplũ Christi exeundum est de terra nostra, id est de facultatibus mundi huius opibusq; terrenis, & de cognatione nostra, id est de conuersatione & moribus, uitijsq; prioribus, quę nobis à nostra natiuitate cohęrentia, uelut affinitate quadam & consanguinitate coniuncta sunt: siue de domo patris nostri, id est omnium memoria mundi, ut ei renuntiantes, possimus in populo dei dilatari: & in terram cœlestis repromissionis cũ tempus aduenerit, introduci. Duæ autẽ repromissiones Abrahæ dantur: una per quã, terrã Chanaan possessurũ semen eius promittiur, dum dicit deus: Vade in terram quã demonstrauero tibi: faciamq; te in gentem magnam.) Aliam uero longe præstantiorem, non de carnali sed spũali semine, per quod pater est non unius gentis Israeliticæ, sed omniũ gentium quæ fidei eius uestigia consequuntur: quod promitti cœpit his uerbis: Et benedicent in te uniuersæ cognatiões terræ. Egressus autẽ Abraham de terra, uenit ad Sichem: acceptoq; secundo oraculo de promissione terræ, ibi ipse ędificauit altare: & profectus inde, habitauit in eremo: Inde famis inopia pulsus, descẽdit in Aegyptum, ubi uxorem suã dixit esse sororem, nec mentitus, quia propinqua erat sanguine: quam tamen Pharao rex Aegypti uxorem uolens accipere, gra-





uissimis territus monstris, multisq; propter eã ma lis afflictus, ubi eius esse diuinitus uxorem didicit, confestim illæsam cum honore restituit. Hoc itaq; cum de Abimelech dicere cœperim⁹, exponemus.

Reuersus ergo Abraham ex Aegypto unde uenerat, tunc Loth fratris filius, in terram Sodomorũ salua charitate discessit, uitans discordiam: quia diuites facti erant, & pastores eorũ inuicem rixabantur. Permansit autem Abraham in terra Chanaan: habitauitq; iuxta quercum Mambræ.

DE VICTORIA ABRAHAE, & de Melchisedech. Cap. XI.

DEindeq́ quinq; regibus q Sodomis irruerãt, captum Loth liberat, habens secum in prælio trecẽtos decem & octo uernaculos. Sed quid hæc uictoria Abrahæ de quinq; regibus indicabat, quos ille fidei pater mysterio superauit, nisi quòd fides nostra si confirmata sit in spũ principali, totidem corporis nostri sensus uerbo dei subigit? Nam sicut ille de proximo in regibus uictor, ita & fides pro anima uictrix de exteriori homine triumphabit. Quòd uero ille non in multitudine, nec uirtute legionum, sed tãtum trecentis decem & octo comitantibus, aduersarios principes debellauit, iã tunc in sacramento crucis, cuius figura per T literã Græcã numero trecẽtorũ exprimitur, imaginabatur, quòd nos CHRISTI passio liberaret à dominatu quinq; carnalium sensuũ: qui nos antea uarijs uitijs captiuantes exuperauerunt. Reuertẽti igitur à cæde hostium Abraham, occurrit ei mox Melchisedech rex Salem sacerdos dei, inenarrabili parẽ

te pro

te progenitus :benedixitq; Abraham offerēs panē & uinū in sacrificiū deo.)Hunc Melchisedech Apostol⁹ sine patre & sine matre cōmemorās figuraliter refert ad CHRISTVM. Ipse enim est solus de patre sine matre genitus per diuinitatē: ipse de matre sine patre per humanitatē: Ipse quoq; sacerdos æternus,ad quem dicitur: Tu es sacerdos in æternū secūdum ordinem Melchisedech: utiq; propter mysterium sacramenti,quod Christiāis celebrare præcepit:ut non secūdum Aaron pecudum uictimas, sed oblationem panis & uini, id est corporis & sanguinis eius sacramētum in sacrificium offeramus. Quòd uero patriarcha magn⁹ decimas oēs substātiæ suæ Melchisedech sacerdoti post benedictionē dedit,sciens spūaliter melius sacerdotium futurū in populo gentium q̄ Leuiticū quod in Israel de ipso erat nasciturū: futurumq; ut sacerdotium ecclesiæ habentis præputium, benediceret in Abraham circunciso sacerdotium synagogæ: Qui enim benedicit,maior est q̄ qui benedicitur. Vnde & sacerdotes ex semine Abrahę nati fratres quos benedicebant, id est populū Israël quibus illi decimas secundū legis mandatum dabāt: uere ut maioribus & eminētioribus suis. Nomen autem ipsum Melchisedech, rex pacis, uel rex iustitiæ interpretatur: quod bene refertur ad CHRISTVM.Ipse est etenim rex pacis: quia per ipsum reconciliamur deo. Ipse est rex iustitiæ:quia ipse ueniet ut discernat sanctos ab impijs. Idemquoq; unus sacerdos & rex:qui ad redemptionem omnium, hostiam deo patri seipsum obtulit, & uerus rex in præsenti seculo, populum suum regit,& in futuro iudicabit.

De sacri



DE SACRIFICIO ABRAHAE, & promissione dei. Cap. XII.

POst hãc uictoriam factum est uerbum domĩ ni ad Abraham in uisu dum esset de posterita te solicitus, & sibi uideret non nasci filium:& tamen semini suo factã promissionem teneret. Sta tim fit illi duplex figura promissi seminis eius: id ẽ in similituinẽ harenę maris, uel in multitudinẽ stel larum cœli. Eijciens ergo Abraham deus foras, ostẽ dit illi stellas cœli dicens: Sic faciam semen tuũ.) Id est Christianam gentẽ cuius tu pater in fide sub sistis, sic faciam resurrectiõis lumine coruscare. De inde demonstrauit illi harenã maris, & dixit: Sic erit in multitudine semẽ tuum.) Hoc est, erit quidẽ copiosa gens Iudæorũ: sed sterilis & infœcũda sicut harena manebit. Post hæc cum repromitteret ei de us, quod esset & possessor repromissionis futurus, signum petit per quod agnosceret: non quasi dubi tans an fieret, sed quomõ futurum esset exquirẽs. Cui dominus hãc similitudinem proposuit. Sume, inquit, mihi uaccam triennem, & caprã trimã, & arietem annorũ triũ, turturem & columbã. Tollens igit Abraham uniuersa hęc, diuisit ea per medium, & utrasq; partes contra se altrinsecus posuit: aues aũt non diuisit. Descenderũtq; uolucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Cumq; occubuisset sol, pauor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eũ: apparuitq; ei clibanus fumãs, & ignis transiẽs inter media illa quæ diuisa erant, dictumq; est ei: Cognoscẽdo scies, qa peregrinum erit semen tuum in terra nõ sua, & ser uiet & affligetur: &c.) Statutus est itaq; modus pro

missi seminis Abrahæ: & ista est figura: Per iuuencam enim significata ē plebs posita sub iugo legis: per capram eadem plebs peccatrix futura: per arietem eadē plebs etiam regnatura. Quæ animalia ideo trima dicuntur, quia per articulos temporum ab Adam usq; ad Noē, & inde usq; ad Abraham, & inde usq; ad Dauid, tanq̃ tertiam ætatem gerens, ille populus adoleuit. Per turturem & columbā, spirituales in eo populi figurati sunt: indiuidui filij promissionis, & hæredes regni futuri: quorū ætas temporalis ideo tacetur, quia æterna meditantes, transgressi sunt desideria temporalia. Sed quid est q̄ animalia illa tria diuiduntur, aduersus se inuicem partibus constitutis: nisi q̄ carnales & in populo ueteri, & nūc inter se diuiduntur? Porro aues iccirco nō diuiduntur, quia spirituales indiuidui sunt: schisma non cogitant, nec seducuntur ab hæreticis, sed pax est semper in ipsis, siue à turbis se remoueant ut turtur, siue inter illas conuersentur sicut colūba, utraq; tamen auis & simplicitatem habet, & innocentiam. Volucres aūt descendentes sup corpora quę diuisa erant, spūs immūdi significantur, pastum quēdam suum de carnalium diuisiōe quærentes. Quòd autem illis considentibus, Abraham abigebat eas, significat multos carnales merito sanctorū in fine mundi ab angustiis liberandos. Quòd aūt circa solis occasum pauor irruit in Abrahā, horror magn9 & tenebrosus, significat circa huius seculi finē magnam perturbatiōem ab Antichr̄o in sanctis futuram, de qua domin9 in EVANGELIO dicit: Erit ēm tunc tribulatio magna, qualis nō fuit ab initio. Quòd uero adiungitur,) Cum occubuisset sol, facta est



cta est caligo tenebrosa, & apparuit ei clibanus fu migans, & lampas ignis transiens inter media illa quæ diuisa erant.) significat post finem seculi futurum diem iudicij, quando per ignem segregabunt sanctorum populi & iniquorum. Quód uero dictum est ad Abraham, Sciēdo scies quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, & in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis.) hoc de populo Israël qui erat in Aegypto seruiturus, apertissime prophetatum est: non ꝙ sub AEgiptijs quadringentis annis seruierint, sed qm̄ iste numerus in eadem afflictione completus est, qui cōputatur ab illo tempore, quo ista Abrahæ promittuntur.

DE SARA ET CIRCVNCIsione Abrahæ. Cap. XIII.

IAm tunc propter peregrinatiōem futuram, ne cōmisceret semen eius inter gentes, datur ei circuncisio in signū his uerbis: Circuncidetur ex uobis omne masculinum: infans octo dierum circuncidetur in uobis: tam uernaculus q̄ emptiti⁹ circūcidetur. Masculus aūt cuius præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Sed & Sarai non appellabitur Sarai, sed Sara. Et dabo tibi ex ea filium, & benedicam illum, & erit in natiōes, & reges gentium ex eo erunt.) Hic iam declaratur promissio de uocatione gētium in Isaac filium promissionis: id est gratia, non natura: quia de sene patre & sterili matre: et quia hoc nō per generationem quę est Ismael, sed per regeneratiōem futurum erat, à deo ibidē imperata est circuncisio: quando de Sara promittit

mittitur filius in typo ecclesię, non quando Ismael qui typum tenuit Iudæorum. Sed quid aliud circuncisio significat, nisi renouatam naturam per baptismum post spoliationem ueteris hominis? Et quis est octauus dies nisi CHRISTVS, qui hebdomade completa, hoc est post sabbatum resurrexit? Quòd uero non solum filios, sed & seruos uernaculos & emptitios circuncidi præcepit, ad omnes gratiam redemptionis pertinere testatur. Ibi parentũ mutantur & nomina, ut omnia resonent nouitatẽ. Nam Abrã quod antea uocabatur, interpretatur pater excelsus, Abraham pater gẽtium: quo nomine prænũtiabatur q̃d multæ gẽtes fidei eius uestigia sequerentur. Illud aũt quid sit quod dictum est? Masculus qui nõ circuncidetur octaua die, peribit anima illa, quia pactum meũ irritum fecit.) Cur autem pereat anima paruuli incircũcisi, dum ipsa pactum dei non irritum fecit, sed qui eum circũcidere neglexerũt, nisi ut significaret quod paruuli nõ secundum opus, sed secundũ originem in primo homine, pactum dei dissipauerũt, in quo omnes peccauerunt? Nascũtur enim non proprie sed originaliter peccatores: quoniam nisi regeneratio liberet, peribit anima eius de populo suo, quia pactum dei irritum fecit: quando in Adam originaliter etiã ipse peccauit.

DE TRIBVS uiris qui uenerunt ad ilicem Mambræ, Cap. XIIII.

DEinde apparuit dominus Abrahæ in cõualle Mambræ, sedenti ad ostium tabernaculi. Cumq́ leuasset oculos, apparuerũt ei tres uiri stãtes iuxta eum. Quos cum uidisset, adorauit

& ati

& ait:Domine si inueni gratiā in oculis tuis, lauentur pedes uestri, et regescite sub arbore. Et abijt Abraham ad Saram, & iussit eam ex tribus satis facere subcinericios panes: quos cum uitulo quem parauerat, apponebat illis: similiter & lac, & butyrū. Ipse uero stabat iuxta eos sub arbore. Cūq; comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara uxor tua? At ille: Ecce inquit, in tabernaculo est. Cui dixit. Reuertens ueniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito Sara, risit.) Notandum quippe φ Abraham triplicem habeat figuram in semetipso: primam saluatoris, qm̄ relicta cognatione sua, uenit in hunc mundum: alteram patris, q̄niam īmolauit unicum filium: tertiā uero quæ hoc loco est, figuram gestauit sanctorum, qui aduentum CHRISTI cum gaudio susceperunt. Tabernaculum autem illud Abrahæ, ipsam Ierusalem portendit, ubi pro tempore prophetæ & apostoli habitauerunt: ubi & primū dominus adueniens à credentibus exceptus est, ab incredulis in ligno suspensus est. In tribus autem uiris qui uenerunt ad illum, domini nostri IESV CHRISTI prænūtiabatur aduentus, cum quo duo angeli comitabant̄, quos pleriq; Moysen & Heliam accipiūt: unum priscæ legislatorem, qui per eandem legem aduentum domini indicauit: alium qui in fine mundi uenturus est, denuntiaturus & secundum aduentū CHRISTI: atq; eius Euangelium Iudæis prædicaturus. Vnde & in monte cū dominus fuisset transfiguratus, hi duo Moyses & Helias ab Apostolis cū eo uisi sunt. Quòd uero Abraham tres uidens unum adorauit, dominum scilicet saluatorem ostēdens, cuius iam

aduentū

aduentum est præstolatus: Iuxta quod etiam domin⁹ in EVANGELIO ait: Abraham quæsiuit uidere diem meum: uidit & gauisus est. Tunc enim futuri aspexit mysterium sacramenti. Vnde & pedes eorꝝ lauat, ut in extremo lauacri purificationē demonstraret futurā. Pedes enim nouissima significant. Siquidem & conuiuiū pręparat: uitulum scilicet saginatum. Iste autē uitulus tener, saginatus, domini IESV CHRISTI est corpus. Hic & uitulus domini, qui propter salutem credentium ad arborem crucis est immolatus. Hic est uitulus dominici corporis, qui in Euangelio pro peccatore occiditur filio. Sed & butyrꝝ & lac cum carne uituli, apposuit. Lac quippe priscæ legis habuisse figuram, Apostolus nobis annuntiat dicens: Lac uobis potum dedi, non escam: Nōdum enim poteratis, nec adhuc quidem potestis. Tradiderat enim illis legis mandatum, quasi lac de uberibus duarum tabularum expressum, hoc est testamētum fidei. Necdū enim poterant propter infantiam sensus sui Euangelicæ doctrinæ solidam et robustam escā accipere. Butyrum autem uberrimū et pinguissimū Euangeliorꝝ est testimonium: quod ueluti oleum fidelibus in signum datur. Sed proinde uitulum cum lacte & butyrū Abraham edendū apposuit, quia nec corpus domini quod est uitul⁹ sine lacte legis, nec lac legis sine butyro, hoc est sine Euāgeliꝫ testimonio esse potest. Tria autem sata unde Sara subcinericios panes fecit, trium filiorꝝ Noe imaginem indicauerunt: ex quibus omne genus hominū natum est. qui diuinę trinitati credētes, ex aqua baptismatis per ecclesiam cuius imago Sara erat, cōspargēdi essent

d

dicessent: & in uno pane CHRISTI corporis redigendi. Haec sunt illa tria sata, quę mulier in Euangelio cognoscitur fermētasse. Azymi aūt panes, eo ꝙ sine fermento malitię & sine angore nequitię, sine feruore peruersæ doctrinę oporteat esse credentiū unitatem. Subcinericij autem ideo, ut per pœnitentiā pręteritorꝝ delictorū spūs sancti uapore decocti, uelut esca bñplacita, deo acceptabiles efficiāť. Sub arbore autē sedisse eos, passiōis dominicę erat signū: cuius ipsi sunt pdicatores. Quòd aūt promittit deus Sarę sterili filiū dicēs: Circa tempus hoc ueniam.) non de temporibus significat, sed de qualitate aduētus sui, quoniam per filiū repromissum fidelis erat populus nasciturus. Ista est enī Sara sterilis, cui per prophetam dominus dicit: Lętare sterilis quæ non paris: erūpe & exclama, quæ non parturis: quoniā plures filij desertæ, magis q̄ eius quæ habet uirum. Risus aūt Saræ non est dubitatio, sed prophetia. Qui risus duplicē habet significantiā: siue ꝙ risus esset futurus incredulis CHRISTVS: siue q̄d omnes inimicos in iudicio suo esset risurus. Vnde & ipse qui natus est de Sara, risus nomen accepit. Isaac enim Hebręa lingua, in Latinum sermonem risus interpretať. Deinde rursum idem Isaac filius, promittiť futurus in gentē magnam :Et benedicentur in eo ait, oēs gentes terræ.) Quibus uerbis duo illi historialiter promissa sunt, gens Iudæorum secundum carnem, & omnes gentes secundū fidem.

DE SODOMIS ET DE LOTH & filiabus eius, Cap. XV.

POst hanc promissionẽ uertitur in cinerem Sodoma, liberato Loth cũ filiabus suis. Sed quid significat ꝙ à quinquaginta iustis usq; in decem, si in Sodomis inuenirentur, dixerit dominus urbem esse saluandam? Numerꝰ quippe quinquagenarium propter pœnitẽtiæ signum posuit, si forte conuerterentur & saluarentur. Quinquagenariꝰ enim semper ad pœnitentiam refertur. Vnde & Dauid in eodem numero psalmũ scribit pœnitentiæ. Proinde quoniam aspicit deus delinquentium uitã, nequaq̃ uelle reuerti ad pœnitentiã, quã quinquagenarius numerus præfigurat, confestim ardorem immoderatæ luxuriæ cõpescet igne gehennæ. Vsque ad decem aũt iustos non perire Sodomam dixit, quia si in quẽlibet per decẽ præceptorꝫ custodiam CHRISTI nomẽ inueniatur, iste non perit: Denarij eñ numeri figura, crucem Christi demõstrat. Nam & quod quinq; sunt ciuitates quę imbribus igneis conflagratæ sunt, illud nisi fallor, significat, ꝙ omnes q quinq; sensꝰ corporis sui libidinose tractauerint, in illo futuro incendio concremandi sunt. Ipse aũt Loth frater Abraham iustus & hospitalis in Sodomis, qui ex illo incẽdio, quod erat similitudo futuri iudicij, meruit saluus euadere, typum figurabat corporis CHRISTI, quod in omnibus sanctis, & nunc inter iniquos atq; impios gemit, q̊rum factis non consentit: & à quorꝫ permixtiõe in seculi fine liberabit illis dãnatis supplicio ignis æterni. Vxor aũt eius, eorꝫ scilicet genus figurauit, q per gratiam dei uocati retro respiciunt: & ad ea quę reliquerant redire contẽdunt: De quibus ipse dominus: Nemo inquit, ponens manum suam super ara

 trum, re

trũ reſpiciẽsq́; retro, aptus eſt regno dei. Vnde & illi prohibetur retro reſpicere, per quod oſtenderet non eſſe redeũdum ad ueterem uitam, qui per gratiam regenerati ultimũ cupiũt euadere iudicium. Quòd uero eadem reſpiciens remanſit, & in ſalem conuerſa eſt, exemplum pręſtat ad condimentum fidelium, unde alij ſeruentur. Nam nec ipſum tacuit CHRISTVS dicens: Mementote uxoris Loth: ſcilicet uti nos tanq̃ ſale condiret, ut nõ fatui negligeremus, ſed prudentes caueremus. Hoc enim & illa admonuit, cum in ſtatuam ſalis cõuerſa eſt. Illud uero ꝙ ipſe Loth ardentem Sodomam fugiens Segor uenit, & nequaq̃ ad montana conſcendit: ardẽtẽ quippe Sodomã fugere, eſt illicita carnis incendia, uel mũdi deſideria declinare. Altitudo uero mõtiũ, ſpeculatio eſt perfectorũ. Sed quia multi ſunt iuſti, qui mundi quidem illecebras fugiunt, ſed tamen in actione poſiti, cõtemplationis apicem ſubire non queunt, hoc eſt quod exiit quidem Loth de Sodomis, ſed tamen ad montana non peruenit: qa damnabilis uita relinquit̃, ſed adhuc celſitudo ſpeculationis ſubtiliter non tenet̃. Inde idem Loth ad angelũ dicit: Eſt ciuitas hic iuxta ad quã poſſum fugere parua, & ſaluabor in ea. Nunquid non modica eſt, & uiuet in ea anima mea?) Iuxta igit̃ dicitur, & tamen ad ſalutem tuta perhibetur: quia actualis uita nec à mundi curis ex toto diſcrẽta eſt, nec tamen à gaudio æternæ ſalutis aliena. In ipſo autẽ Loth, quando filię concubuerunt cum eo, non illud quod cum à Sodomis liberatus eſt, ſed aliud figuratum eſt. Tunc enim ipſe Loth futuræ legis uidebatur geſtaſſe perſonam: quia quidem ex illa pro-

creati

creati,et sub lege positi, male intelligẽdo quodammodo se inebriant: eaq́ non legitime utẽdo, infidelitatis opera pariunt. Bona est enim lex inquit, Apostolus, si quis ea legitime utatur.

DE ABIMELECH qui Saram ducere uoluit uxorem. Cap. XVI

SEQVItur dehinc historia de Abimelech, q̃ niã Abraham tacuit Saram uxorem suam & dixit sororẽ: ne se occiso, ab alienigenis, captiua possideretur: certus de deo quòd eam uiolari non permitteret, sicut nec primũ à Pharaone. Vnde & Abimelech somnio commonitus, non cõmaculauit eã concubitu, sed intactam restaurauit marito. Verũtamẽ quis tunc in illo figurabatur uiro, & cuius sit uxor quæ in hac peregrinatiõe, atq; inter alienigenas pollui, maculariq́ non sinitur, ut sit uiro suo sine macula & ruga? In gloriam quippe CHRISTI recte uiuit ecclesia: ut pulchritudo ei⁹, honor sit uiro eius: sicut Abrahã propter Sarę pulchritudinem, inter alienigenas honorabatur: ei'que cum dicitur in Cãticis canticorum: O pulchra inter mulieres: ipsius pulchritudini merito reges offerunt munera: sic Saræ obtulit rex Abimelech: plus in ea miratus formæ decus, quòd amari potuit. Est enĩ & sancta ecclesia domino IESV CHRISTO in occulto uxor. Occulte quippe atq; in abscondito secreto spũali, anima humana inhæret uerbo dei, ut sint duo in carne una: quod magni coniugij saramentum in Christo & ecclesia commendat Apostolus. Proinde regnum terrenum seculi huius, cuius figuram gerebant reges qui Sarã polluere permissi nõ sunt, non

d 8 est ex

est expertum:nec inuenit ecclesiam coniugē Christi,nisi cum uiolare tentauit.Diuino enim testimonio per fidem martyrum cessit, correctūq; ī posterioribus regibus honorauit munere:q̄ corruptioni suæ subdere,in prioribus non ualuit.Nā quod tunc in eodem rege prius & posterius figuratum ē, hoc in isto regno prioribus & posterioribus regibus ad impletum est. Cum aūt dicitur de patre esse soror CHRISTI ecclesia non de matre,non terrenæ generatiōis quæ euacuabitur, sed gratię cœlestis quę inęternum manebit,cognatio commendatur:secūdum quam gratiam,genus mortale nō erimus,accepta potestate, ut filij dei uocemur & simus.Neq; ēm gratiam hāc de synagoga matre CHRISTI secundum carnem,sed de deo patre pcepimus.Hāc uero cognationem terrenam,uocans in aliam uitā ubi nullus moritur,negare nos Christus docuit nō fateri, cū discipulis suis ait: Ne uobis dicatis patrē in terra:unus est enim pater uester qui in cœlis est. Quòd uero ecclesia cuius uxor sit, occultatur alienigenis,cuius autem soror nō tacetur, hęc interim causa facile occurrit: quia occultum est & difficile ad intelligendum, quomō anima humana uerbo dei copuletur siue misceatur: siue q̄d melius & aptius dici potest,cum sit ille deus,ista creatura:secundum hoc ēm spōsus & sponsa,uel uir & uxor Christus & ecclesia dicuntur.Quòd uero cognatiōe sint fratres CHRISTVS IESVS & oēs sancti,gratia diuina non consanguinitate terrena, hoc est de patre non de matre, & affabilius dicitur, & capacius audit. Nā inter se oēs sancti per hanc grām fratres sunt:sponsus aūt cęterorū societate nullus illorū est.

De nati

DE NATIVITATE Isaac,& expulsione Agar cum filio. Ca. XVII.

Centenarius itaq; Abraham genuit ex Sara uxore sua filium: quē uocauit Isaac. Hūc cum uidisset mater ludētem cum Ismaël, dixit ad Abraham: Eijce ancillam & filiam eius: Non eñ hęres erit filius ancillę, cum filio meo Isaac.) Nunc igitur quærendum est cur antea Sara uoluit maritum de ancilla suscipere filium, aut cur nūc cū matre iubet expelli domo: q̄ nō zelo fecit accensa, sed mysterio prophetiæ compulsa. Agar quippe secundum q̄ ait Apostol⁹, in seruitutē genuit carnalem populum: Sara uero libera, populum genuit, qui non est secundum carnem, sed in libertatem uocatus est: qua libertate CHRISTVS eum liberauit. Hoc igitur mysterio figurabat priorem populum in seruitute peccatorꝝ generatū, in domo Sarę id ē ecclesiæ non manere inęternum: neq; esse cohæredem uel cōsortem cultoribus Christi: nec cum filio nobili, id est fideli populo, regnum cœlestis gloriæ possessurum. Cum eijceret igitur Abrahā Agar de domo, accepit panes & utrem aquę, & dedit Agar: & imposuit sup humeros ei⁹ infantem, & dimisit eam. Exiens aūt Agar, errabat in solitudine, & cū morientem siti filium proiecisset sub arbore, apparuit ei angelus domini, & demōstrauit fontē aquę, & potauit filium suum.) Quid ergo significat quod exiēs Agar infantem in humeros suos imposuit, nisi quod peccator populus & insipiens, ceruicē matris suæ synagogę grauauit dum dicit: Sanguis huius super nos & super filios nostros? Panes aūt hoc indicabant, q̄d uetus sacerdotium panes propositi

onis ſicut ſcriptum eſt, portaret ſecum, & ueſceret. Vter uero aquæ qui defecit, Iudaica purificatio ſignificabatur defectura: ſiue doctrina eo℞ carnalis in pelle mortua clauſa: i d eſt in carne ueteris hominis præuaricationis ſententia damnata: quę nec refrigerium præſtat, nec ſatiat ſitim: ſed æſtu tepida, uomitũ facit. Quòd uero errat Agar ĩ ſolitudine cũ filio ſuo, ſignificat ſynagogam cũ populo ſuo expulſam de terra ſua, ſine ſacerdotio & ſacrificio ĩ toto orbe errare: & uiam qui eſt CHRISTVS, penitus ignorare. Quòd filius illius ſiti deperiit, oſtendit populum nullam habentem ſpũalem purificationem. Quòd uero filium morientem ſiti, ſub arbore proiecit, & ſic demõſtrante angelo aſpicit fontem, ſignificabat quoſdam ex eo populo ad umbram ligni crucis, refugiũ reperturos. Quòd exclamat puer plorans, & exaudiuit eum deus, & ſic demonſtrãte angelo aſpicit fontem, hoc pro illis dicit, qui ex Iudęis ad Chriſtum conuertuntur: ac flentes retroactos errores, exaudiũtur: reſeratiſq; oculis cordis uidẽt fontem aquæ uiuæ, id eſt CHRISTVM filium dei qui dicit: Ego ſum fons aquæ uiuæ: qui ſitit ueniat & bibat. Vnde Iſmahel exauditio interp̃tatur. Angelus autem iſte, ſimilitudo eſt Heliæ, per quem populus iſte eſt crediturus: ſicut p Malachiã dicitur: Ecce ego mittam uobis Heliam, qui cõuertat corda patrum in filios. Veruntamẽ quod angelus domini ſtat, & uocauit Agar dicens: Surge et tolle puerum, quia in gentem magnã faciam eũ.) hoc ſignificabat, ſiue quòd copioſus Iudæorũ populus eſſet regnaturus in ſeculo: ſiue qa cœleſtis regni gloriam conſecuturi eſſent, qui ex eis crediдiſ-

ſentio

sent in CHRISTO. Quòd autem eundem angelũ qui loquitur ad Agar, prius angelũ scriptura denũtiat, deinde deum, filium dei eum fuisse credẽdum est: qui per legem et ꝓphetas semper locutus est: qui propter obedientiam paternæ uoluntatis, angelus uocatur: deus autem secundum naturam patris: quia uere & ipse deus sicut & pater.

DE EO QVOD OBTVLIT ABRAHAM filiũ suum. Cap. XVIII.

IVbetur deinde Abraham immolare filium unicum suum. Ille autem obtemperans deo, soluit uotum: strauit asinum: imposuit ligna: seruos longe dimisit: solus cum filio ascendit: triduo ad locum peruenit. Antequam ueniret filius ad locũ sacrificij, ipse sibi immolãdus ligna portauit. Deinde Abrahã gladio armatur, & cum iam pene feriret, admonetur ut parceret: & nõ tamen sine sacrificio, sine sanguine effuso recedit. Apparet nanq; aries in uepre inhærens cornibus: immolatur, peragiturq; sacrificium: & peracto sacrificio, dicitur ad Abrahã:

Benedicam tibi & multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & uelut harenã maris. Possidebit semẽ tuum portas inimicorũ suorum: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terrę, quia obaudisti uoci meæ.) Age nunc uideamus, quid sub huius sacramenti lateat mysterio. Iste enim Abraham qui filium unicum perduxit ad immolandum, habebat ꝑsonam dei patris. Sed quid est quod eum senex suscepit? Non enim senescit deus, sed ipsa prænuntiatio de Christo iam quodammodo senuerat, quãdo

natus est CHRISTVS: Inchoata ē eñ ab Adam ubi dictum est; Et erũt duo in carne una. Sacramẽ tum illud magnum in Christo & ecclesia: & cõple ta est sexta ætate seculi, quæ à senecta significaba tur Abrahæ: quia ipsum sacramentum dei, iam lon gæuum erat. Et senectus Saræ in plebe dei, hoc est in multitudine propheta℞, hoc idem significat q̃a in fine temporum ex ipsa plebe sancta℞ animarũ natus est Christus. Sterilitas aũt eius intimat, quòd in hoc seculo spe salui facti sumus: & in Christo tã quam in Isaac omnes nati sumus: quem partũ ec clesia in fine temporum, mirabili dei gratia, nõ na turali fœcunditate procreauit. Iam deinde sequen tis historiæ sacramentum, quid imaginarie portẽ debat, inspiciendum est. Quis ergo in Abraham, ut prædictum est, per illam immolationem figuraba tur, nisi pater excelsus? Quis in Isaac, nisi Christus? Nam sicut Abraham unicum & dilectũ filium deo uictimam obtulit: ita domin⁹ unigenitũ filium su um pro nobis omnibus tradidit: & sicut Isaac ipse si bi ligna portauit, q̃bus erat imponẽdus: ita & Chri stus gestauit in humeris lignum crucis suæ, in quo erat crucifigendus. Duo aũt serui illi dimissi, & non perducti ad locum sacrificij, Iudæos significabant, qui cum seruiliter uiuerent, & carnaliter saperent, non intelligebant humilitatem CHRISTI: non intelligebant passionem Christi: ideo non peruene runt ad locum sacrificij. Cur aũt duo serui, nisi quia ipse populus in duas partes diuidẽdus erat? Quod factum est Salomone peccante: quoniam diuisus ẽ idem populus loco regni, non errore impietatis: q̃ bus etiam sæpe per prophetas dicitur: Auersatrix

Israël

Iſraël, & preuaricatrix Iuda. Aſinus autem ille, inſen ſata eſt ſtultitia Iudæorũ. Iſta inſenſata ſtultitia Iudeorũ portabat omnia ſacramẽta: & q̃d ferebat, neſciebat. Iam quod dictũ eſt eis: Expectate hic cum aſino: poſtq̃ autẽ adorauerimus, reuertemur ad uos,) Apoſtolum audi: Cæcitas, inquit, ex parte in Iſraël facta ẽ. Quid eſt cæcitas ex parte? Expectate hic cum aſino, ut plenitudo inquit, gẽtium intraret: hoc eſt, poſtq̃ adorauerimus: ubi ſacramentum dominicæ crucis impletum, per gentes fuerit prædicatum: hoc eſt, ut plenitudo gẽtiũ intraret. Quid eſt, & reuertemur ad uos? Et ſic omnis Iſraël ſaluus fiet. Triduum autem illud in quo uenerunt ad locũ immolationis, tres mundi ætates ſignificat, unam ante legem: aliam ſub lege: tertiam ſub gratia. Ante legem, ab Adã uſq; ad Moyſen. Sub lege, à Moyſe uſq; ad Iohannem. Vnde iam à domino & quicqd reſtat, tertius dies ẽ gratiæ: in qua tertia ætate quaſi poſt triduum, ſacramẽtum ſacrificij CHRISTI completum eſt. Deinde Iſaac ligatus pedibus altari ſuperponitur, & dominus in ligno ſuſpenſus, cruci affigit: Sed illud quod figuratum eſt in Iſaac, traiectum eſt ad arietem. Cur? Quia Chriſt⁹ ouis: ipſe enim filius: ipſe agnus. filius quia natus: aries quia immolatus. Sed quid eſt in uepribus hærebat aries ille? Crux cornua habet: Sic enim duo ligna cõpinguntur in ſe, cũ ſpeciẽ crucis reddunt. Vñ & ſcriptũ eſt de eo: Cornua in manibus eius ſunt. Cornib⁹ ergo hẽrẽs aries. crucifixũ dominũ ſignificat. Vepres aũt ſpinę ſunt. Spinæ iniquos & pctõres ſignificãt, qui ſuſpenderũt dominũ in cruce. Inter ſpinas itaq; peccatorum Iudaicorum ſuſpenſus eſt dominus, ſicut per Ieremiam idem dicit: Spinis peccatorum

ſuorum circundedit me populus hic. Aliĳ hunc arie tem cornibus in uepribus obligatum, eũdem Chriſtum ſenſerunt, anteq̃ immolaretur ſpinis à Iudæis coronatum. Peracto igitur ſacrificio, dicitur Abrahæ: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.) Quando enim hoc factum eſt, niſi quando dicit ille aries: Foderunt manus meas & pedes meos: & dinumerauerunt omnia oſſa mea? Hoc enim quando pactum eſt illud in pſalmis ſacrificium, tunc in ipſo pſalmo dictum eſt: Cõmemorabuntur & conuertentur ad dominum uniuerſi fines terrę, & adorabũt in conſpectu eius omnes patrię gentiũ: quoniam domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Immolato igitur Abraham ariete pro Iſaac filio ſuo, uocauit nomen loci illius, dominus uidet, pro eo quod eſt, domin⁹ uideri ſe fecit: utiq; per incarnationem. Deinde moritur Sara centeſimo uiceſimo anno uitæ ſuæ: & empto agro ab Efron, ſepeliũt eam. Sed quid ſibi uelit quod Sara in ſepulchro duplici ſepelitur, niſi quia anima quæ ſeculo moriť ut deo uiuat, gemina uitę requie ſuſcipitur: id eſt in actione boni operis, & contemplatiõe diuinitatis.

DE ISAAC ET REBECCA. Cap. XVIIII.

ERat autem Abraham ſenex dierũq; multorũ: dixitq; ſeruo ſuo ſeniori q ſupra omnia eius erat: Pone manum tuam ſub fœmur meũ, ut adiurem te per dominum deũ cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris



ſcaris:inde accipiẽs uxorem filio meo Iſaac.) Et q̃d ſibi uelit ꝙ Abraham ſeruo ſuo dixit, poſtulans iure iurando fidẽ: Pone, inquit, manum ſub fœmore meo, & adiuro te per deũ cœli? Quid uult deus cœli ad fœmur Abrahę, niſi ut cognoſcat ſacramentũ? Per fœmur enim genus intelligitur. Ergo quæ fuit illa cõiuratio, niſi quia ſignificabat de genere Abrahæ, uenturum in carne deũ cœli? Senior autem iſte imaginẽ habuit legis per quam ſpõſa CHRISTI eccleſia deſponſabatur: qui tamen propter antiquitatem ſenior nuncupatur. Abijt itaq; puer in Meſopotamiam in ciuitatẽ Nachor: ſtetitq; circa fontẽ quærẽs ſponſam filio domini ſui.) Sic & lex quæ poſt fidem eſt, uenit ad fontẽ baptiſmatis. Occurrit & uirgo Rebecca, id eſt eccleſia. Vidit autẽ Rebecca pueꝝ, id eſt ſermonem propheticum: deponit de humero hydriam: utiq; elatam ſeculi facundiam, & ad humilẽ ꝓpheticum ſe inclinauit ſermonem. Suſcipit fidei ornamenta uel morum: accipit aureos ſcripturaꝝ ſenſus, & clarum argenti eloquium: ſicq; ſecuta puerum Rebecca uenit ad Iſaac. Secuta uerbum propheticum eccleſia uenit ad Chriſtum: quæ tamen cameli dorſo deducitur: quia ad CHRISTVM ex gentilitate eccleſia properãs, in tortis uitioſiſq; uitæ ueteris conuerſationibus inuenitur. Quę Iſaac uiſo deſcendit, quia domino cognito, uitia ſua gentilitas deſeruit, & ab elatiõe celſitudinis ima humilitatis petiit. Quę etiam & uerecũdata pallio uelatur, quia coram eo de erroribus prioris uitę confunditur. Quòd uero inclinato iam die egreſſus eſt in agrum Iſaac, hoc deſignabat, q̃d extremo huius mũdi tẽpore uelut in diei fine, Chriſtus

ſtus aduenit. Quaſi in agrum foras exijt, quia cum ſit inuiſibilis, ſe tamen uiſibilē in hoc mundo uenienti ex gentibus eccleſiæ demōſtrauit. Inuenit autem eum eccleſia ad puteum uiſionis, id eſt in contemplatiōe & intelligētia ueritatis, ubi intellectum percipiat altiorem: ſiue lauacrum aquæ ubi purificetur, ſicq; dehinc copulatur ſpōſo ſuo Chriſto, adhærēs illi gloria, æternitate, & regno.

DE CETHVRA, SIVE DE morte Abraham. Cap. XX.

QVID autem ſibi uult quod Abrahā poſt obitum Saræ Cethuram duxit uxorem? Nunquid ob incontinentiam, dū eſſet iam ætate grandæuus? Abſit. An propter filiorum procreationem, dum illi ſemē quaſi ſtellæ cœli ex Iſaac filio promitteretur? non. Ergo quid ſibi uult iſta Cethura, niſi quia ſicut Agar & Iſmahel ſignificauerūt carnales ueteris teſtamenti, ſic & Cethura & filij eius ſignificabant hæreticos, qui ſe ad teſtamentum nouum exiſtimant pertinere? ſed utræq; concubinæ dicuntur, ſola Sara ſemper uxor uocatur, ſicut ſcriptum eſt: Vna eſt enim columba mea, pfecta mea. Dedit autem cuncta quæ poſſidebat Abraham Iſaac filio ſuo: filiis autem cōcubinarum ſuarū largitus eſt munera: & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo.) Quid hoc ſignificat, niſi quia dantur & nonnulla munera filijs concubinarum, id eſt carnalium? ſed non perueniunt ad regnum promiſſum nec hæretici, nec Iudæi, qui carnalia lucra ſectantur. Præter Iſaac enim nullus eſt hæres, utiq; quia non filij carnis, ſed filij promiſſionis

missionis deputantur in semine. Deinde mortuus ē Abraham centum septuaginta quinq; annorum: sepultus est in speluca duplici, in cuius interiori parte Adam esse positum traditio Hebræorū testatur.

DE EO QVOD VIDIT ABImelech Isaac ludere cum Rebecca Cap. XXI.

ORTA DEINDE fame super uniuersam terram, abijt Isaac ad Abimelech regē Palęstinorum in Gerara, ex præcepto & benedictione domini, ibiq; Rebeccam uxorem suam timoris causa finxit sororem, quā rex alienigena Isaac coniugem tunc esse cognouit, quādo iam eum cū ea ludentem uidit. Quid autem sibi uelit in sacramento CRISTI & ecclesiæ, quod tantus patriarcha cum coniuge luserit, coniugiumq; illud inde sit cognitum? Videt profecto quisquis ne aliquid errando in ecclesia peccet, si secretum uiri eius in scripturis sanctis diligenter intueatur, & inuenit eum maiestatem suam qui in forma dei æqualis est patri paulisper abscondisse in forma serui, ut eius capax esse humana infirmitas posset, eoq; modo sequi coniugij congruum iter aptaret. Quid enim absurdum, immò quid non conuenienter futurorum prænuntiationi accommodatum, si propheta dei carnale aliquid lusit, ut eum caperet affectus uxoris, cum ipsum uerbnm dei caro factum sit, ut habitaret in nobis?

DE PVTEIS

DE PVTEIS quos fodit Isaac.
Cap. XXII.

POst hæc refert scriptura quod Isaac, postquam benedixit illum dominus, & magnificatus est ualde, aggressus est opus, & cœpit fodere puteos, quos foderant pueri patris sui Abraham. Sed inuidentes ei Palęstini obstruxerunt eos, implentes humo: & reliqua.) Quis est iste Isaac nisi saluator noster, qui cum descēdisset in istam torrentem Gerara, primo omniū istos puteos fodere uult quos foderant pueri patris sui? id est, Moyses puteū legis foderat: Dauid, Salomon & prophetæ libros scripserunt ueteris testamenti, quos tamen terrena & sordida repleuerat intelligentia: & eorum os cum uellet purgare Isaac, ut ostēderet quia quæcunque lex & prophetæ dixerunt, de ipso dixerūt, rixati sunt cum eo Philistiim, id est Iudęi à regno dei alieni. Sed descendit ab eis: nō potest esse cum his qui in puteis aquā nolunt habere sed terram: & dicit eis: Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Fodit ergo Isaac nouum puteum: immò pueri Isaac fodiūt. Pueri sunt Isaac Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes, Petrus & Iacobus: Iudas & Apostolus Paulus, qui omnes noui testamenti puteū foderūt, & inuenerunt aquā uiuam, quæ fit fons aquę salientis in uitam æternā. Sed pro his adhuc altercātur illi qui terrena sapiūt: nec noua condi patiuntur, nec uetera purgari. Euāgelicis puteis contradicunt: apostolis aduersant & prophetis. Et quoniam in omnibus contradicunt litigantes, dicit ad eos: Quoniam indignos uos fecistis gratię dei, ex hoc iā ad gentes ibimus. Et post hęc fodit tertium puteum Isaac: Et appellauit nomen loci illius

latitudo

latitudo dicens, Nunc dilatauit nos dominus,& fecit crescere super terrã). Vere dilatatus est Isaac, & impleuit omnem terram scientia trinitatis, & in toto orbe latitudinem ecclesiæ collocauit. Prius enim tãtum in Iudæa notus erat deus,& in Israël nominabatur. Nunc autem in omnem terram exijt sonus eorum,& in fines orbis terrę uerba eorum. Exeuntes enim pueri Isaac,per uniuersum orbem terrę foderunt puteos,& aquam omnibus ostenderunt, baptizantes omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Sed quid est ꝙ puteos Abrahã q̃s aperuit Isaac sic uocauit eos, sicut & pater eius; nisi qa Moyses apud nos etiãMoyses appellaẽ,& ꝓphetę unusquisq; suo nomine appellãt,nec mutanẽ quasi eorundẽ uocabula puteoꝝ? Hęc mystice,moraliter autem Isaac apud alienam gẽtem puteos fodisse describitur, quo uidelicet exemplo discimus, ut in hac peregrinationis crumna positi, cogitationum nostrarum profunda penetremus, & quousque nobis ueræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaq̃ nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamẽ puteos allophyli insidiantes, replent. quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose confodere conspiciunt contractas nobis tentationum cogitatioes, mergunt.

DE ESAV ET IACOB. CAPVT XXIII.

IGitur Isaac dũ rogaret dominũ ut pareret uxor eius q̃ sterilis erat, cõcessit dñs q̃ postulat: illidebãtur ꝗ gemini in utero ei⁹ inclusi angustia: Quę dum agerentur,interrogauit dominum,accẽpitq; responsum. Duæ gẽtes in utero tuo sunt, & duo pọ

duo populi de uētre tuo diuidentur, populusq; populum superabit: & maior seruiet minori.) Quod figuraliter factum, etiam ipsis Iudęis non credentibus notū est, qualiter populus ecclesiæ synagogæ populum superauit: & quomō plebs Iudæorū tempore maior, seruit minori populo Christianorū. Si quidem & in singulis nobis hoc dici potest, q̄d duę gētes & duo populi sint inter nos, uitiorum scilicet atq; uirtutum: sed iste minor est, ille maior: semper enim plures sunt mali q̄ boni: & uitia numerosiora uirtutibus sunt. Sed tamē in nobis gratia dei populus populū superat: & maior seruit minori. Seruit etenim caro spiritui: & uitia uirtutibus cedunt. Procedit autē Esau primus rufus, & totus tanquam pellis hirsutus. Deinde exiit frater eius Iacob: & manus eius implexa erat calcaneo Esau. Sed cur totus ille rubeus & hispidus, nisi qa populus ille prior prophetarū & Christi fuit cruore pollutus, ac peccati & nequitię squalore extitit circūdatus? Cuius ideo minor calcaneū tenuit, quia mystice maiorē populum minor superauit. Nā quòd iste Esau primogenita sua propter escā eidē iuniori fratri suo uenūdedit, ac postmodū paterna bñdictione sibi promissa priuatus est, significat eundē Israheliticū populū, q à deo, ut Exodi indicat liber, primogenitus filius nūcupatus est: qui propter præsentis seculi lucra non solum primatus sui honorem amisit, uerū etiā & regni cœlestis pręmiū pręparatū adipisci nō meruit, dño quodāmodo id eidē exprobrāte cū dicit: Transferet̄ à uobis regnū dei: et dabitur genti facienti uoluntatē eius. Primogenita aūt ipsa, uestis erat sacerdotalis: qua maiores natu cū benedictiōe patris induti, ui

duti,uictimas deo uelut pontifices offerebāt. Hoc donū terreni amoris desiderio dedicauerūt Iudæi, cum gloria regni futuri. Iam sequit̄ dehinc ipsa benedictio in Iacob: quæ tamen quid figuraliter indicauerit, Hyppoliti martyris uerba, sicut excellētissimæ scientiæ ac doctrinæ Hieronymus replicauit, in hoc loco ponenda sunt. Isaac inquit, portat imaginē dei patris: Rebecca spūs sancti, Esau populi prioris & Zabuli: Iacob ecclesię et Christi. Senuisse Isaac, cōsummationē orbis ostēdit. Oculos illius caligasse, fidem periisse demundo, & religionis lumen ante eū neglectū eē significat. Quòd filius maior uocatur, acceptio legis ē Iudæorum. Quòd escas eius atq; capturam diligit pater, hoīes sunt ab errore saluati: quos per doctrinam iustus qsq; uenat̄. Sermo dei repromissiōis ē benedictio, & spes regni futuri: in q̄ cum Christo sancti regnaturi sunt, & uerum sabbatū celebraturi. Rebecca plena spū sancto, et sciēs q̄d audisset anteq̄ pareret, q maior seruiet minori, formam gerit in hoc loco spūs sancti. Quæ futura norat in Christo, in Iacob aūt meditat̄: loquitur ad filium minorē: Vade ad gregē et accipe mihi inde duos hœdos.) p̄figurās carneū saluatoris aduētū: in q̄ eos uel maxime liberaret, q peccatis tenebātur obnoxii: Siqdē in oīb[9] scripturis hœdi pro peccatorib[9] accipiunt̄. Quòd autē duos iubet̄ afferre, duorum populorū significat̄ assumptio. Quòd teneros & bonos, dociles & innocētes aīas. Stola Esau, fides & scripturæ sunt Hebræorum: quæ illis primo datæ sunt, & postmodū gentiliū indutus est populus: Pelles aūt quę eius brachiis cirundatæ sunt, peccata utriusq; plebis, quæ Christ[9] in extensiōe manuū

cruci secũ pariter affixit. Ipse enim in corpore suo, nõ sua, sed aliena peccata portauit. Quòd Isaac quę rit ab Iacob, cur tam cito uenerit, admiratur uelocem in ecclesiis credentium fidem. Quòd cibi delectabiles offeruntur, hostia placens deo, salus est peccatorum. Quòd postremo consequitur benedictio & eius odore perfruitur, uirtutem resurrectionis, & regni aperta uoce pronũtiat. Taliter enim benedicitur. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.) Odore nominis Christi sicut ager, mundus impletur, cuius est benedictio de rore cœli, de uerborũ pluuia diuinorũ. Et de pinguedine terræ,) hoc est de cõgregatiõe populorum. Multitudo frumẽti & uini,) hoc est multitudo quã colligit de sacramẽto corporis sui & sanguinis. Illi seruiunt populi ex gentibus ad eum conuersi, ipsum adorãt tribus, id est populi ex circuncisione credẽtes. Ipse est dominus fratrum suorum, quia plebi dominatur Iudęorum. Ipsum adorant filij matris eius, quia & ipse secundum carnem ex ea natus est. Ipsum qui maledixerit maledictus est, & qui benedixerit benedictionibus replebit. CHRISTVS inquã noster, ex ore patris, id est populi ignorãtis benedicitur, id est ueraciter dicitur, sed alius à Iudæis benedici putatur, qui ab eis errantibus expectatur. Ecce benedictionẽ promissam repetẽte maiore, expauit Isaac & alium se pro alio benedixisse cognoscit: nec tamen indignatur relato sibi sacramento, sed confirmat benedictionem in filio dicens: Et benedixi eum, & benedictus est.,) Hęc est bñdictio prima Isaac, quæ data est minori populo Christianorum: sed neq; tamen maiorem filium penitus fuisse despectum, qa cum in

cum intrauerit plenitudo gẽtium, tunc omnis Isra el saluus erit: cuius tamẽ secũdæ benedictiõis prophetatio hęc est. In pinguedine terrę & in rore cœli desup erit bñdictio tua.) In pinguedĩe utiq terrę, in fœcũditate rer, & in potẽtia regni q̃ in illo populo fuit. Et in rore cœli erit benedictio tua,) id est in eloquijs dei: Ipsis enim credita sunt eloquia dei, & legis testamẽta. Viues gladio.) id est, quia populus ille sanguini dedit⁹, necem in CHRISTO ut prophetis exercuit. Et fratri tuo seruies minori,) scilicet populo Christião. Tempusq ueniet cum excuties & soluas iugum de ceruicibus tuis.) dum per agnitionem fidei ad gratiam Christi conuersus, deposueris onus legis: quando iam non seruies populo minori, sed per fidem frater uocaberis. Igitur Esau post benedictionem patris inuidiæ stimulis concitatus, necem fratri suo Iacob fraudulenter excogitat. Hoc & nimir & Iudaicus popul⁹ in Christo præmeditatus, non solum dominum patibulo crucis tradidit, uer etiam credentes in illo, usq ad effusionem sanguinis persecutus est. Iacob autem dolos fugiens fratris, relicta domo, patria & parentibus, uadit in regiõem longinquam, ut acciperet sibi uxorem. Non aliter Christus, relictis parentibus secundum carnem, id est populo Israël, & patria, id est Ierosolyma, & oĩbus regiõibus Iudęę, abiit in gẽtibus, accipiẽs sibi inde ecclesiã: ut impleret q̃d dictũ est: Vocabo nõ plebẽ meã, plebẽ meã: & nõ dilectã plebẽ, dilectã: & erit in loco ubi dictũ est, non plebs mea uos, ibi uocabunt filij dei uiui.

DE SCALA quam in uisione uidit Iacob, Cap. XXIIII.

 Pergens

PErgens autē Iacob in Mesopotamiam, uenit in locum qui nūc Bethlehem uocatur, & posuit sub capite suo lapidem magnum, & dormiens uidit scalam subnixam innitentē cœlo: & angelos dei ascendentes & descēdentes. Hoc uiso euigilauit, unxitq́ue lapidem dicens: Vere hic est domus dei, & porta cœli: & his dictis discessit. Somnus iste Iacob, mors siue passio CHRISTI ē. Lapis ad caput eius, qui nominatim quemadmodum dictum est, etiam unctus, Christus significatur: Caput em̄ uiri Christus est: Quis enim nescit Christum ab unctione appellari? Domus autem dei, quia ibi natus est Christus, in Bethlehē. Porta uero cœli, q̄a ibi in terram descendit: ibi iterum in cœlum conscendit. Erectio autē lapidis, resurrectio Christi est. Porro scala, Christus est, q̄ dixit: Ego sum uia. Per hāc ascēdebant & descendebant angeli, in quibus significati sunt Euangelistæ prædicatores Christi, ascendētes utiq́ue, cum ad intelligendam eius supereminentissimam diuinitatem excedunt uniuersam creaturam, ut eum inueniant qui in principio erat uerbū apud deum, per quē omnia facta sunt. Descendentes autem, ut eum inueniāt factum ex muliere: factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. In illa em̄ scala à terra usq́ue ad cœlū, à carne usq́ue ad spiritū: quia in illo carnales proficiendo, uelut ascēdendo sp̄uales fiunt, ad quos lacte nutriendos etiā ipsi spirituales descendunt quodāmodo, cū eis nō possunt loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus. Ipse ē sursum in capite: ipse deorsum in corpore suo quod est ecclesia. Ipsum ergo scalā intelligimus, quia ipse dixit: Ego sum uia. Ad ipsum ergo a-

ſcēditur,ut in excelſis intelligāt: & ad ipſum deſcēditur, ut in mēbris ſuis paruulus nutriatur. Et per illum ſolum ſe exigunt, ut eū ſublimiter expectēt. Per ipſum ſe etiam humiliāt, ut eum ſimpliciter ac temperanter annuntient. Poſt hanc uiſionem inde Iacob iter faciens, uidit oues & paſtores, & puteum aquæ uiuæ, & lapidem magnum ſuperpoſitū puteo. Figuraliter per oues, iuſtorꝶ populi ſignificabant: ſicut illud quod dictū eſt in Euangelio: Statuet ad dextram oues. Paſtores uero, & prophetæ ſunt qui uſq; ad aduentū domini ſpiritu ſancto mūdati, Iſraheliticum populum gubernabāt. Lapis puteo ſuperpoſitus, figuram domini præferebat. Puteus gratiam ſpūs ſancti per prædicationem Chriſti uenturam ad eccleſiam ex gentibus: quæ obtecta erat, nōdū aduenīēte & homine facto Chriſto.

DE LIA & Rachel, & duabus famulabus. Cap. XXV.

IGitur Iacob pergēs Meſopotamiā, accepit uxores duas, filias Laban fratris Rebeccæ: hoc eſt, primo Liam, ſecundo Rachel. Inde ſibi accepit Liæ ancillam nomine Zelpham, & ancillā Rachel Balam: Ex quibus quatuor, genuit XII. filios & unā filiam. De Lia ſcilicet genuit Ruben, Symeō, Leui, Iudam, Iſachar, Zabulō. De Rachel aūt Ioſeph & Beniamin. De Bala ancilla Rachel, Dan & Neptalim. De Zelpha ancilla Liæ, Gad & Aſer: Hi ſunt duodecim filij Iſrahel. Nunc autem quid rerꝶ figurauerint quatuor uxores Iacob, quarꝶ duę liberę, duæ ancillæ fuerunt, dicendum eſt. Vidimus enim Apoſtolū in libera & in ancilla quas habebat Abraham, duo

testamenta intelligere. Sed ibi in una & una facili⁹ apparet quod dicitur: Hic autem duæ sunt & duæ. Deinde ibi ancillæ filius exhæredatur: Hic uero ancillarum filij cum filijs liberarũ, terram promissionis accipiũt. Vnde hic proculdubio aliquid aliud significatur. Quid enim duæ liberæ uxores Iacob ad nouum testamentum quo in libertatẽ uocati sumus, existimãtur pertinere? Nõ tamẽ frustra duæ sunt, nisi quia duę uitæ nobis in Christi corpore prædicantur, una temporalis in qua laboramus: alia ęterna in qua dilectionem dei contemplabimur. Lia nanque interpretatur laborans: Rachel autem, uisum principium siue uerbum. Actio ergo huius uitæ in qua uiuim⁹ ex fide, laboriosa est in operibus, & incerta quo exitu proueniat ad utilitatem eorum, quibus cõsulere uolum⁹. Ipsa est Lia prior uxor Iacob: ac per hoc & infirmis oculis cõmemoratur: Cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ proui dentiæ nostræ: Spes uero æternæ contemplatiõis dei, habens certam intelligentiam ueritatis, ipsa ẽ Rachel: Vnde etiam dicitur bona facie, & pulchra specie: Hãc enim amat omnis pie studiosus: & propter hanc seruit gratiæ dei, qua peccata nostra & si fuerint quasi phœnicium, tanq̃ nix dealbabuntur: Laban quippe interpretatur dealbatio, cui seruiuit Iacob propter Rachel. Nanque enim se quisque cõuertit sub gratia remissionis pc̃tõrum seruire iustitiæ, nisi ut quiete uiuat in uerbo ex quo uidetur principium, quod est deus. Ergo propter Rachel, nõ propter Liam seruitur: Nam quis tandem amauerit in operibus iustitiæ laborem actiõum atque passionũ? Quis enim eam uitam propter seipsam expetierit,

sicut

ſicut nec Liam Iacob: Sed tamen ſibi nocte ſuppoſitã, in uſum generandi amplexus, fœcunditatem eius expertus eſt. Dominus enim eam, quia per ſe ipſam diligi non poterat, primo ut ad Rachel perueniretur, tolerare fecit: deinde propter filios commendauit. Ita uero unuſquiſq; utilis dei ſeruus, ſub dealbationis peccatorum ſuorum gratia conſtitutus, quid aliud amans in ſua conuerſatione meditatur niſi doctrinam ſapiẽtiæ, quam plerique ſe percepturos putant, ſtatim ut ſe in ſeptem præceptis legis exercuerint, quę ſunt de dilectione proximi ne cuiquam noceatur: id eſt, honora patrem tuum & matrẽ tuã: nõ mœchaberis: non occides: nõ furaberis: non falſum teſtimonium dices: non concupiſces rem proximi tui? Quibus obſeruatis, poſteaquam homini pro cõcupita delectatione doctrinæ, per tentationes uarias quaſi per huius ſæculi noctem, tolerantia laboris adhęſerit, uelut pro Rachel Lia inopinata coniũgitur: & hanc ſuſtinet ut ad illam perueniat, ſi perſeueranter amat acceptis alijs ſeptem pręceptis, ac ſi ei dicatur: Serui alijs ſeptẽ annis propter Rachel) ut ſit pauper ſpiritu, mitis, lugens, eſuriens ſitiẽsq; iuſtitiam: miſericors, mundi cordis, pacificus. Vellet enim homo ſi fieri poſſet, ſine ulla tolerantia laboris quæ in agendo patiendoq; amplexanda eſt, ſtatim ad pulchræ contemplationis delicias peruenire: ſed hoc nõ poteſt in terra moriẽtium. Hoc enim uidetur ſignificare quod dictũ eſt ad Iacob. Non eſt moris in loco hoc, ut minor habeatur priuſquã maior:) Quia non abſurde maior appellatur, quę tẽpore prior eſt. Prior eſt autem in hominis eruditione labor boni operis, quam requies contemplationis. Ad

nis. Ad unum ergo contēdendum eſt: ſed propter hoc multa ferēda ſunt. Itaq; duæ ſunt uxores Iacob liberæ: ambæ quippe ſunt filiæ remiſſiōis peccatorum, hoc eſt dealbationis peccatorū quod eſt Laban: ueruntamen una amat, alia toleratur. Sed quę toleratur, ipſa prius & uberius fœcundatur: ut ſi nō propter ſeipſam, ſed certe propter filios diligitur: Labor enim iuſtorum maximum fructū habet in eis, quos regno dei generat, inter multas tribulationes & tentationes prædicando Euangelium: & eos propter quos ſunt in laboribus abundantius, in plagis ſupra modū, in mortibus ſæpius, propter quos habent foris pugnas, intus timores, gaudium & coronam ſuam uocant. Naſcūtur aūt eis facilius atq; copioſius ex illo ſermone fidei, quo prædicāt Chriſtū crucifixum. Rachel autem clara aſpectu, mēte excedit deo, & uidet in principio uerbū deū apud deum: & uult parere & non poteſt, quia generationē eius quis enarrabit? Ideoq; cum contemplandi otia appetit ut diuinitatem ineffabilem cernat, uacare uult omni negotio. Et ideo ſterilis, q̄a in uarijs preſſuris non ſubuenit. Sed quia & ipſa interdū procreandi charitate inardeſcit, (uult enim docere quod nouit) uidet ſororem labore agendi filijs abundātem, & dolet potius currere homines ad eam uirtutem qua eorum neceſſitatibus conſulitur, q̄ ad illā unde diuinum aliquid diſcitur. Hic dolor figuratus uidetur in eo quod ſcriptū eſt: Et zelauit Rachel ſororē ſuam.) Proinde, quia purus intellectus ſpiritualis ſubſtantiæ, uerbis carne editis exprimi nō poteſt, elegit doctrinā ſapientiæ per quaslibet corporeas ſimilitudines inſinuare diuinas, ſicut elegit

Rachel ex uiro suo & ancilla suscipere filios, magis quam sine filijs omnino remanere. Bala quippe ancilla Rachel, interpretatur inueterata. De ueteri quippe uita carnalibus sensibus dedita, corporeæ cogitantur imagines: etiam cum aliquid de spirituali & incommutabili substantia diuinitatis auditur. Suscipit & Lia de ancilla sua filios, amore habendæ numerosioris prolis accēsa. Inuenimus autem Zelphā eius ancillam interpretari os hiās. Quapropter hæc ancilla illos figurat, quorum in prædicatione fidei euangelicæ, os erat & cor non erat: de qualibus scriptum est: Populus hic me labijs honorat, cor autē eorum longe est à me. Et de quibus Apostolus dicit: Qui prædicas non furandum, furaris. Veruntamen ut etiā per hanc conditionalē libera illa uxor Iacob laborans, filios hæredes regni suscipiat, ideo dominus dicit: Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Vnde & Apostolus: Siue inquit, in occasione, siue ueritate Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo: tanquam & ancilla pariente de prole numerosiore lætatus. Est uero quidā Liæ fœtus ex beneficio Rachel editus, cum uirū suū secū debita nocte cubiturum, acceptis à filio Liæ mandragoricis malis, cū sorore cubari permittit. Quid enim de mandragora dicendum est? Proinde rem comperi pulchrā & suaue olentē, sapore autē insipido: & ideo in illo mandragorico pomo figurari intelligo famā bonā popularē: Vnde dicit Apostolus: Oportet etiā testimoniū bonū habere ab eis qui foris sunt: qui licet parū sapiāt, reddunt tamē plerūque labori eorum per quos sibi consulitur, & splendorem laudis, & odorem bonæ opinionis, Nec ad istam gloriam popu-

popularem, primi perueniunt eorum qui sunt in ecclesia, nisi quicunque in actionum periculis & labore uersentur. Propterea Liæ filius mala mandragorica inuenit exiens in agrum: id est honeste ambulãs ad eos qui foris sunt. Doctrina uero illa sapientiæ quæ à uulgi strepitu remotissima in contemplatione ueritatis dulci dilectione defigitur, hanc popularẽ gloriam quantulãcunque non assequeretur nisi per eos, q in medijs turbis agendo, accusando, populis præsunt: quia dum isti actuosi & negotiosi homines, per quos multitudinis administratur utilitas, & quorum auctoritas populis chara est, testimoniũ perhibent etiam uitæ, propter studium conquirendæ & cõtemplandæ ueritatis otiosæ, quodammodo mala mandragorica per Liam perueniunt ad Rachel: ad ipsam uero Liam per filium primogenitum: id est per honorem fœcũditatis eius: in quo est omnis fructus laboriosæ atque inter incerta tentationũ periclitantis actionis: quia plerique bono ingenio prædi- ti, studioque flagrantes, quamuis idonei regendis populis esse possint, tamen euitant propter turbulentas occupationes: & in doctrinæ otium toto pectore tanq̃ inspectione Rachel feruntur in amplexus. Et quia bonum est ut etiam hæc uita latius innotescens popularem gloriam mereatur, iniustum est autem ut eam consequatur, si amatorem suum administrandis ecclesiasticis curis aptũ & idoneũ, in otio detinet: & gubernationem communis utilitatis impedit: propterea Lia sorori suæ dicit: Parum est tibi quod uirũ meũ accepisti, insuper & mandragorã filij mei uis accipere?) Per unum uirum significans eos omnes, qui cum sint agendi uirtute habi

les

les & digni,quibus regimen ecclesię committatur, ad dispensandum fidei sacramentum,illi accẽsi studio doctrinæ atq; indagandæ & contemplandæ sapiẽtiæ,se ab omnibus actionum molestijs remouere,atq; discendi in otio aut docendi uolunt consedere. Ita ergo dictum est: Parum est tibi q accepisti uirum meum, insuper & mãdragoram filij mei uis accipere?ac si diceretur: Parum est tibi quod homines ad laborem rerum gerendarum necessarios, in otio detinet uita studiorum:insuper & popularem gloriam requirit? Proinde ut eam iuste compareret, impartit Rachel uirum sorori suæ illa nocte:ut scilicet qui uirtute laboriosa regimini populorũ accõmodati sunt,etiam si scientiæ uacare delegerant,suscipiant experientiam tẽtationum:curarum quoq; sarcinam pro utilitate communi: ne ipsa doctrina sapientię cui uacare statuerant,blasphemetur:neq; adipiscatur ab imperitioribus populis existimationem bonam, quod illa poma significant: & quod necessarium est exhortationem discentium:sed planẽ ut hanc curã suscipiant,ui coguntur satis. Et hoc significatum est,quod cũ uenerit de agro Iacob, occurrit ei Lia:eumq; detinens ait: Ad me intrabis: conduxi enim te pro mandragoris filij mei.) tanq̃ diceret: doctrinę quã diligis uis conferre bonã opinionem,noli fugere officiosum laborem. Hęc in ecclesia geri quisquis aduertit, cernit & experitur in exemplis,quod intelligamus in libris. Quis non uideat hoc geri toto orbe terrarum, uenire homines ab operibus seculi,& ire in otij usum cognoscẽdę & contemplandę ueritatis, tanquàm in amplexum Rachel:& excipi de transuerso ecclesiastica necessitate

tate

tate:atq; ordinari in labore,tanq̃ Lia dicente,ad mé
intrabis? Quibus iſtud myſterium dei diſpenſanti-
bus,ut in nocte huius ſeculi filios generẽt fidei,lau
datur à populis etiam illa uita,cuius amore cõuer-
ſi, & ſpem ſeculi relinquunt: & ex cuius profeſſiõe
ad miſericordiam regendæ plebis aſſumpti ſunt.Id
enim agunt in omnibus laboribus ſuis, ut illa pro-
feſſio qua ſe cõuerterant, quia tales rectores popu-
li dedit,latius & clarius glorificetur,tanq̃ Iacob nõ
recuſante noctem Liæ,ut Rachel pomis ſuaue olẽ
tibus & clare nitentibus, potiatur: quæ aliquando
& ipſa, præſtante miſericordia dei per ſe ipſam pa-
rit,uix tandem quidem:quia paucorũ eſt:ut,In prin
cipio erat uerbum,& uerbum erat apud deum,&
deus erat uerbum:& quicquid de hac re pie ſapien
terq; dicitur, & ſine phãtaſmate carnalis cogitatio-
nis,& ſalubriter uel ex parte capiat. Alio quoq; ſen-
ſu Liam & Rachel, Victorinus martyr, & cæteri in
ſimilitudine eccleſiæ uel ſynagogę,interp̃tati ſunt.
Liam enim maiorẽ natu,ſynagogæ tenuiſſe exiſti-
mant typũ, quia prior dei genuit populũ: quæ qui-
dem & oculis legitur grauida,quia lex per Moyſen
data:quæ operta eſt atq; ſignata.Rachel autem iu-
nior & pulchra, prius ſterilis & poſtmodum fœcun
da,ſimilitudo eſt eccleſiæ. Iunior, quia tempore po
ſterior. Pulchra,quia ſancta corpore & ſpiritu. Ocu
li eius decori, quia euangelium proſpicere merue-
runt. Quæ etiam tandiu ſterilis fuit,quouſq; ſyna-
goga populum generauit. Cur autẽ Iacob pro Ra-
chel ſeruiuit,& ſupponit ei Lia maior, niſi quia do-
minus ut eccleſiã aſſumeret,prius ſynagogã ſibi cõ
iũxit? Seruitus itaq; Iacob ſeptẽ annorũ pro duabus
uxo-

uxoribus,huius uitæ præsentis tempus significat, quæ per septem dies euoluitur:in qua dominus formam serui accepit: factus obediens paternæ uolūtati usq; ad mortem. Ille enim pro ouibus seruiuit: & dominus noster ait:Non uenit filius hominis ministrari, sed ministrare. Ille oues pauit: & dominus in euangelio dicit:Ego sum pastor bonus. Ille mercedis lucro uariū sibi pecus abstulit:Christus diuersarum gentium uarietatem sibimet congregauit. Ille tres uirgas amputatis corticibus, in alueis aquarum opposuit,ut earum contemplatione multiplicarētur eius oues:& dn̄s noster in aqua baptismatis trium personarum nomina populo fideli propofuit:ut q̄squis hoc pleno corde p̄spexerit,efficiatē ouis dei.

DE FVGA IACOB & Rachel,quæ furata est idola patris sui. Cap. XXVI.

Post longam igitur seruitutem quam Iacob apud socerū suum pro uxoribus uel mercede sustinuit, præcepit ei deus ut reuerteretur ad patriā suam. Tunc ignorante socero suo, cum uxoribus,cum comitatu properauit. Laban autē consecutus est eum in monte Galaad cum furore: atq; idola quę Rachel furata erat,apud eum requisiuit, nec repperit. Quid ergo sibi hoc ipsum figuraliter uelit? Dum enim Laban aliam superius gerat personam, nūc tantū diaboli typum figurat. Laban quippe interpretatur dealbatio. Dealbatio aūt diabolus non inconuenienter accipitur:quia cum sit tenebrosus ex merito,transfigurat se uelut in angelū lucis. Huic seruiuit Iacob, id est ex parte reproborum Iudaicus populus,ex cuius carne incarnat⁹ dn̄s uenit. Potest p Laban mūdus hic exprimi,q cū furore Iacob

sequi-

ſequitur: quia electos quosq; qui redemptoris nostri membra ſunt, perſequēdo opprimere conatur: Huius filiam, id eſt ſeu mundi ſiue diaboli, Iacob abſtulit, cum ſibi Chriſtus eccleſiam ex gentilitate coniunxit: quam & de domo patris abſtrahit, quia & ei per prophetam dicit: Obliuiſcere populū tuum & domum patris tui. Quid uero in idolis, niſi auaritia deſignatur? Vnde per Paulum dicitur: Et auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus. Laban ergo ueniens apud Iacob, idolum non inuenit: quia oſtenſis mūdi theſauris, diabolus in redemptore noſtro ueſtigia concupiſcentiæ terrenæ non repperit. Sed quę in actibus habuit, ea Rachel ſedendo cooperuit. Per Rachel quippe quæ & ouis dicitur, eccleſia figuratur. Sedere autem, eſt humilitatem pœnitētiæ appetere, ſicut ſcriptū eſt: Surgite poſtq̄ ſederitis. Rachel ergo idola ſedēdo cooperuit, qa ſancta eccleſia Chriſtum ſequens, uitiū terrenæ concupiſcētiæ per humilitatem pœnitentię cooperuit. De hac cooperatione uitiorū per prophetam dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata. Nos igitur Rachel illa ſignificauit qui idola ſedendo premimus, ſi culpas auaritię pœnitendo damnamus: quæ utiq; auaritiæ immunditia, non illis qui uiriliter currunt, quibus dicitur: Viriliter agite & confortetur cor ueſtrum, ſed his maxime euenit, qui quaſi effœminato greſſu gradientes, per blandimēta ſeculi reſoluuntur. Vnde illic eiuſdem Rachelis hæc uerba ſunt. Iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.) id eſt quaſi muliebria ſe habere innotuit. Labā autem poſtq̄ perſecutus eſſet Iacob, & inueniſſet eum, & locuti

essent inter se ineuntes foedus, tulit Iacob lapidem & erexit illum in titulum: dixitq; fratribus suis: Afferte lapides. Qui cōgregantes fecerunt tumulū: quem & uocauit Laban tumulum testis: & Iacob aceruum testimōnij.) Inter fideles enim tam Iudæos quā gentes, testis est lapis eminēs in simitudinem CHRISTI, & aceruus lapidum qui est multitudo credentium.

DE LVCTA Iacob cum angelo.
Cap. XXVII.

HIs transactis, Iacob mittit nuntios ad Esau fratrem suum: mittit & munera. Post hæc transductis omnibus suis per torrentē, ipse remansit solus: & ecce uir luctabatur cum illo, præualuitq; ei Iacob: nec dimisit eum nisi benedictionem extorqueret: sacrumq; Israhel nomen acciperet: in quo principaliter sacramēti dominici imago præfigurata est. Vir enim ille typum Christi euidētissime gesserat: cui tamen ideo præualuit Iacob, utiq; uolenti ut mysterium figuraret passiōis Christi: ubi uisus est Iacob in Iudæorum typo, hoc ē in corporis sui sobole præualuisse deo: & quasi cum infirmo, ita cū carne eius luctamen inire: & inualescere in passiōe eius, sicut scriptū est cum diceret: Crucifige. Et tamen Iacob benedictionē ab angelo eodē quē uictor superauerat, impetrauit: cuius nominis impositio utiq; benedictio fuit. Interpretatē aūt Israhel uidens deum: quod erit in fine præmiū sanctorum omnium. Tetigit porro illi idē angelus latitudinem fœmoris, & claudum reddidit. Sicq; erat unus atq; idem Iacob, benedictus & claudus. Benedictus in his, qui in Christum ex eodē populo crediderunt

diderunt,atq; in infidelibus claudus: Nam fœmoris neruus uel latitudo, generis multitudo est. Plures quippe sunt in stirpe, qui degenerantes à fide patrũ & à præceptis auctoris sui deuiantes, in erroris sui semitis claudicant: de quibus prophetice prędictũ est: Et claudicauerunt à semitis suis: qui tamen populus prætactis sibi uiribus, non solum claudicat sed & torpescit, ne ultra iam generare filios possit. Deniq; quod adiecit idem patriarcha, uidisse se dominum facie ad faciem, cum superius uirũ secum narret fuisse luctatum, id significat, qa idem deus hõ erat futurus, qui cũ Iacob populo luctaretur.

DE Dina & partu Rachel, & incestu Ruben. Cap. XXVIII.

POst hęc Sichem Emor filius, Dinam filiam Iacob uiolauit: qui post concubitum eius, familiæ Israhel uoluerat sociari: quem Symeon & Leui fratres, uirginitatis sororis uindices, dolo cũ omni populo eius interfecerũt. Sed qd sibi uelit q̊d scriptum est? Egressa est Dina ut uideret mulieres regionis illius: quam cum uidisset Sichem fili⁹ Emor Euæi priceps terrę illius, adamauit & rapuit: dormiuitq; cũ ea ui opprimens uirginẽ, & conglutinata est anima eius cum ea: tristemq; blãditijs deliniuit.) Dina quippe ut mulieres uideat extraneę regionis egreditur, quando unaquæq; mens sua studia negligens, actiones alienas curans, extra habitum atq; extra ordinem proprium euagatur. Quam Sichẽ princeps terræ opprimit, quia uidelicet inuentam in curis exterioribus, diabolus corrũpit. Et cõglutinata est anima eius cum ea, quia unitam sibi

tam sibi per iniquitatem respicit. Et quia cum mẽs à culpa resipiscit addicitur, atq; ad missum flere conatur, corruptor spes ac securitates uacuas ante oculos uocat, quatenus utilitatẽ tristitiæ subtrahat, recte illic adiungitur, tristemq; blanditijs deliniuit. Modo enim aliorum facta grauiora: modo nihil esse quod perpetratum est: mõ misericordẽ deum loquitur: modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur. ut dũ per hæc decepta mẽs ducitur, ab intentione pœnitentię suspendatur: quatenus tunc bona nulla percipiat, quã nũc mala nulla contristant, & tunc plenius absorbeat supplicijs, q̃ nũc gaudet in delictis. Dehinc loquitur deus ad Iacob, ut habitaret in Bethel. Ibi Rachel cũ pareret Beniamin, mortua ẽ. Sed quid sibi uult, q̃d cum eundẽ Beniamin Rachel pareret, uocauit nomen eius, filius doloris mei, nisi futurum prophetãs ex ea tribu Paulum qui affligeret filios ecclesiæ persecutionis suæ tempore? Aliter per Beniamin terrestris figurabatur Ierusalẽ, quæ est in tribu eiusdem Beniamin: cuius populus graui matrem dolore affecit, effundendo sanguinem prophetarum : insuper etiam in necem CHRISTI impijs acclamando uocibus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Interea Ruben concupiscẽtia motus est libidinis, & in concubinam patris sui præceps efferbuit: quòd incesti crimen non scriberetur, nisi futura peruersitas populi pronuntiaretur: quanq̃ & in illo qui hoc cõmiserit, cõsideretur esse flagitium: in scripturis aũt prophetia ẽ futurorũ. Nãq; per Ruben primogenitũ, ppl's primogenit⁹ Israhel ex circũcisione significat, q thorum cõcubinæ polluit: id est, legẽ ueteris

testamenti sæpe prævaricando cōmaculauit. Quod autem in concubina, lex ueteris testamenti ponatur, Paulus edocuit dicēs: Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unū de libera. Hæc autem sunt duo testamenta: in quo Agar quæ concubina fuit, in ueteris testamenti ponitur typo: Vna est enī perfecta columba genitrici suæ: quæ uirgo casta, sponsa regis ecclesia, per euangelium iungitur Christo.

DE IVDA quando dormiuit cum nuru sua. Cap. XXIX.

IAm deinde Iudæ factum consideremus, quia cū sua nuru concubuit, qd significauerit futurorū. In Thamar ergo nuru Iudæ, intelligitur plebs Iudæa: cui de tribu Iuda reges tanq̄ mariti adhibebantur. Merito nomen eius amaritudo interpretatur: ipsa enim domino fellis poculū dedit. Duo autē genera principum qui non recte operabātur in plebe, unum eorum qui oberant, alterum eorum qui nihil proderant, significantur in duobus filijs Iudæ, quorum unus erat malignus uel sæuus ante dominum, alter in terra fundebat semen, ne daret ad fœcundandam Thamar: nec sunt amplius q̄ duo genera hominū inutilia generi humano: unū nocentiū, alterum præstare nolentium: & si quid boni habēt in hac terrena uita perdentiū: tanq̄ in terra fundentium. Et quia in malo prior est ille qui nocet, q̄ ille qui non prodest, ideo maior dicitur malignus ille, & sequens qui fundebat semen in terram: nomēq; maioris qui uocatur Her, interpretatur pelliceus: qualibus tunicis induti sunt primi homines in pœna dānatiōis suæ dimissi ex paradiso. Sequentis aūt nomen qui uocatur Onan, interpretatur memor

eorum

eorum. Quorum,nisi quibus nihil prodest,cum habeat unde prodesse possit: atq; id perdat in terra? Maius porrò malum est ablatæ uitę quod significat pellis,q̃ nō adiutæ,quod significat,memor eorum. Deus tamen ambos occidisse dictus est:ubi figuratur regnum talibus hominibus abstulisse. Tertius uero filius Iudę,quòd illi mulieri non iungitur,significat tempus ex quo reges plebi Iudæorum cœperunt de tribu Iudæ non fieri.Et ideo erat quidem filius Iudę,sed eum Thamar maritum non acceperat:quia erat eadem tribus Iuda, sed iam in populo inde nemo regnabat.Vnde & nomē eius,id est Selo, interpretatur dimissio eius. Non pertinent sanè ad hanc significationē uiri sancti & iusti, qui licet illo tempore fuerint,ad nouum tamen pertinent testamentum:qui prophetando scienter utiles fuerunt: qualis Dauid fuit.Eo sanè tempore quod iam Iudea cœperat reges ex tribu Iuda non habere, non est cōputādus Herodes maior in regibus eius,tanq̃ maritus Thamar. Erat enim alienigena: nec ei sacramento illo mysticæ unctiōis,tanq̃ coniugali fœdere cohęrebat,sed tanq̃ extraneus dominabatur: quam potestatem à Romanis & à Cæsare acceperat. Sic & eius filij tetrarchæ, quorum erat unus Herodes patris nomine appellatus: qui cum Pilato in passione domini concordauit.Isti ergo alienigenæ usq;adeo non deputabantur in regno illo mystico Iudæorū, ut ipsi Iudæi publice clamarent frendentes aduersus Christum: Nos non habemus regem nisi Cæsarem: neq; hoc uerum, nisi illa uniuersali dominatione. Romanorum quippe etiam Cæsar rex erat non propriæ Iudæorum, sed ut Christum negarent



& hunc adorarent, ideo se tali uoce damnarunt. Illo in tẽpore quo iam de tribu Iuda regnum defecerat, ueniẽdum erat Christo uero saluatori domino nostro, qui non obesset, multumq; prodesset. Hinc enim fuerat prophetatũ: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux de fœmorib⁹ eius, donec ueniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Iam isto tempore omne quoq; magisterium Iudæorũ, & mystica, unde Christi uocabãtur, unctio ipsa defecerant, secundum prophetiam Danielis: Tunc uenit cui repositum erat expectatio gẽtiũ, & unctus est sanctus sanctorum oleo exultationis præ participibus suis. Natus est enim maioris Herodis tẽpore. Passus ẽ Herodis minoris tetrarchæ. Huius itaq; uenientis ad oues quæ perierant domus Israhel, figuram gessit ipse Iudas, cum iret ad tondendas oues suas in Tamna, quod interpretaẽ deficiens. Iam enim defecerat princeps ex Iuda: & omne magisterium atq; unctio Iudæorũ: donec ueniret cui repositũ erat. Venit autẽ cum suo pastore Odollamite, cui nomẽ erat Hyras. Interpretatur Odollamites testimoĩum in aqua. Cum hoc plane testimonio dominus uenit, habens quidem testimoniũ maius Iohanne: Sed tamen propter oues infirmas, hoc testimonio usus est in aqua. Nã & ipse Hyras, quod nomen illius pastoris fuit, interpretatur fratris mei uisio. Vidit omnino fratrem suum Iohannes: fratrem secundum semen Abrahæ: secundum cognationẽ Mariæ matris eius, & Elisabet matris suæ, eundem dominum & deum suum: quia sicut ipse ait: Ex plenitudine eius accepit. Vidit omnino: & ideo in natis mulierum maior illo non surrexit, quia ex omnibus

mnibus prænuntiātibus CHRISTVM ipse uidit, quod multi iusti & prophetę cupierunt uidere, & non uiderunt. Salutauit ex utero agnouit perfectius ex columba, & ideo tanq̃ Odollamites, uere testimonium perhibuit ex aqua. Venit aũt dominus ad oues tondēdas, hoc est exonerādas sarcinis peccatorũ: ex quibus ecclesiæ laudati in Canticis Canticorũ dentes essent, uelut grex detonsarũ. Iam dein de Thamar habitũ mutat: nam & cõmutans interpretatur Thamar: Mutat habitũ, mutat & nomen: & fit de synagoga ecclesia. Sed in ea prorsus nomẽ amaritudinis manet, non illius amaritudinis in qua domino fel ministrauit, sed illius in qua Petrus amare fleuit. Nam & Iuda Latine cõfessio est. Confessioni ergo amaritudo misceat̃, ut uera pœnitẽtia præsignetur. Hac pœnitẽtia fœcundat̃ ecclesia in omnibus gentibus constituta. Oportebat enim Christũ pati & resurgere tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiã & remissionẽ peccatorũ per oẽs gẽtes, incipiẽtibus ab Hierusalẽ. Nã & ipse habitus meretricius, cõfessio peccatorũ est. Typũ quippe ecclesiæ gerit Thamar ex gẽtibus euocatæ, sedẽs cũ hoc habitu ad portã Eman uel Enain, q̃d interpretatur fontes. Cucurrit eñ uelut ceruus ad fontes aquarũ, peruenire ad semen Abrahæ: illic à non cognoscẽte fœtat̃: quia de illa prædictũ est, Populus quẽ nõ cognoui, seruiuit. Accepit in occulto anulũ, monile & uirgã: uocatiõe eñ signat̃: iustificatiõe decorat̃: glorificatiõe exaltat̃. Quos eñ p̃destinauit, illos & uocauit. Quos aũt uocauit, illos & iustificauit. Et q̃s iustificauit, illos & glorificauit. Sed hęc ut dixi adhuc ĩ occulto, ubi fit & cõceptio sanctę ubertatis. Mittit̃

 autem

autē promiſſus hœdus, tanq̄ meretrici. Hœdus exprobratio peccati. Per eundē Odollamitem, tanq̄ increpantem & dicentem: Generatio uiperarum: ſed nō eam inuenit peccati exprobratio, q̄ mutauit cōfeſſionis amaritudo. Poſt uero iam publicis ſignis anuli, monilis & uirgæ, uicit temere iudicantes Iudæos, quorum iam perſonam Iudas ipſe geſtabat, qui hodieq; dicūt: non hunc populum eſſe Chriſti, nec habere nos ſemen Abrahæ, ſed prolatis certiſſimis documentis noſtræ uocationis, iuſtificationis & glorificationis, erubeſcant ſine dubio & confundantur, & nos magis q̄ ſe iuſtificatos eſſe fateanť. Pignora eñ refert habere ſecum eccleſia. Accuſaretur enim à Iudęis quaſi adulteratrix legis. Sed oſtēdit uirgā, ſignū paſſionis: & monile, legis legitima: & anulū, pignus immortalitatis. Quòd aūt ſcriptura inducit parientē Thamar, & duos in utero geminos habētem, q̄rum ſcilicet primus qui dicitur Zara, miſit manum ſuā, & obſtetrix ligauit coccinū: & dehinc illo manum intrinſecus retrahente, poſterior qui Phares uocatur, porrexit & naſcēdo præceſſit, figuraliter congruit, quòd extēderit Iſrahel in legis opera manum ſuā, & eam prophetarum & ipſius ſaluatoris pollutā cruore, cōtraxerit: poſtea uero prorupit populus gentiū: ſcilicet ut futuri eſſent nouiſſimi qui erant primi: & primi futuri eſſent, qui erāt nouiſſimi.

DE HISTORIA Ioſeph. Cap. XXX.

Dehinc hiſtoria ſequitur Ioſeph, qui uendit⁹ ab inuidentibus fratribus, in Aegyptum p̄ductus, atq; ibidē ſublimatus ē. Ioſeph unus ex duo

ex duodecim filiis Iacob, quem pater præ cæteris filijs dilexit, CHRISTVM dominũ figurauit: quẽ deus pater secundum carnem natũ, cæteris filijs ex Abraham stirpe progenitis, prætulit: unde & ibi dicitur: Amabat eum Iacob, eo q̄ in senectute genuisset eum.) Senescẽti eñ mũdo illucescens dei filius per Mariæ uirginis partum, serus aduenit: tanq̄ filius senectutis secũdũ sacramentũ suscepti corporis, qui erat ante sicut semper apud patrem. Tunica aũt polymita quam ei fecit pater, uarietatem ex oĩbus gentibus populorũ in corpore Christi congregatam significauit. Somnium uero illud, per quod fratrum manipuli adorauerint manipulum eius, illud est, quod in Christo impletũ est: Adorabunt eũ omnes reges terræ: omnes gentes seruiẽt ei. scilicet per fidẽ fructũ bonorũ operũ offerẽtes. Ipse est quẽ sol & luna & stellæ adorãt: de quo sole dictũ est: Laudate eum sol & luna, & oẽs stellæ. Ipsum enim excellentia sanctorũ in solis nomine, & ecclesiæ claritas sub imagine lunæ, & omniũ populorũ numerositas in figura stellarũ adorat. Unde & pater suus increpauit eum dicens: Nunquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te?) Obiurgatio ista patris, duritiam populi Israhel significat: qui pro eo quod ex se natum CHRISTVM esse cognoscunt, adorare cõtemnunt. Iacob mittit Ioseph filium suũ, ut de fratribus sollicitudinẽ gereret: & deus pater misit unigenitũ filium suum, ut gen⁹ humanũ peccatis languidum, uisitaret. Mittitur ab illo, utiq; patre, de quo scriptum est: Misit deus filium suũ in similitudinẽ carnis peccati. Vt uideret si recte essent oues.) Et domin⁹ in Euãgelio: Nõ ueni, nisi ad oues

perditas domus Israël. Inuenit ergo Ioseph fratres suos in Dothaim.) Dothaim interpretaẽ defectio. Vere in grandi defectione erant, qui de parricidio cogitabãt: Quia cũ uidissent Ioseph fratres sui procul, occidere eũ cogitauerũt. Et Iudæi uidentes uerũ Ioseph dominũ Iesum Christũ, ut eũ crucifigerent, unũ omnes consiliũ statuerũt dicẽtes: Crucifige eũ.

Fera pessima deuorauit eũ.) id est Iudaica bestia interfecit eũ: de qua dñs in euãgelio dicit: Ecce mitto uos sicut oues in medio luporũ. Nudauerunt Ioseph fratris sui tunica polymita & talari.) & Iudæi Christũ per mortẽ crucis expoliauerũt tunica corporali. Polymitã aũt dicit scriptura, id est decoratã omniũ uirtutũ diuersitate. Resperserunt aũt tunicam hœdi sanguine.) quia eũ falsis testimonijs accusantes, in inuidiã deduxere peccati, omniũ peccata donantẽ. Mittiẽ dehinc in cisternã, id est in lacũ: & Christus expoliatus carne humana, descendit in infernũ. De cisterna quoq; leuatus ille, Ismahelitis uendiẽ: & Christus postea q̃ de inferno egrediẽ, ab omnibus gẽtibus fidei cõmercio cõparaẽ. Ille p Iudæ consiliũ triginta argẽteis distrahiẽ: & hic per cõsiliũ Iudę Scarioth eodẽ numero uenundaẽ. Dehinc Iacob posteritatis suę deplorãs dispẽdia, quasi pater filiũ lugebat amissum: quasi propheta flebat interitum Iudæorũ. Deniq; scidit uestimentũ suũ: quod in passiõe domini legimus factũ à principe sacerdotũ. Sed & uelũ templi scissum est, ut propheta & nudatum suũ populũ, & diuisum ostenderet regnũ. Igiẽ Ioseph descẽdit in Aegyptũ.) & Christus in mũdum. Emit eũ eunuchus.) .i. castus in disciplinis euãgelicis populus. Erat aũt Ioseph pulchra facie.)

ita & de Christo Dauid ait: Speciosus forma præ filijs hominũ: diffusa est gratia in labijs tuis. Sed mulier inquit in eũ oculos iniecit, ut adulteriũ cũ illa pperpetraret. Ista mulier figura erat synagogæ, quæ sæpe sicut scriptũ est, mœchata est cũ dijs alienis: similiter uolebat & Christũ in adulterij sui scelere retinere, ut negaret se esse deũ: & pharisæorũ magis & scribarũ q̃ legis præcepta seruare, quę illi uelut maritus erat. Christus aũt non adquiescẽs illicitæ doctrinæ, adulterio adulterinę synagogę, manu ueste corporis apprehensus, carne se exuit: atq; liber mortis, in cœlũ ascẽdit. Calũniata est meretrix, ubi eũ tenere nõ potuit dicẽs: eo q᷑ templũ dñi blasphemaret: & legis diceret̃ esse trãsgressor: & illũ non carcer terruit, non inferna terruerũt, quinetiã, ubi ueluti puniendus descenderat, inde alios liberauit. Deniq; inuenit duos eunuchos de domo regis in carcere uinctos, duorũ populorũ credẽtiũ uel incredulorũ figurã significantes: qui conclusi sub peccato, Adæ trãsgressioni obnoxij tenebant̃. Qui ideo eunuchi dicũtur, quia castã acceperãt regulã disciplinæ. Eloquia inquit domini casta. Deniq; post trinã lucẽ domino ab inferis resurgẽte, & legis obscura ut Ioseph somnia reuelante, solutus est à peccatis credentiũ populus: & de inferni carcere liberatus, reddit̃ in ministerio diuinę legis. Incredulus aũt & impius populus Iudeorũ, qa in cõuersatiõis ligno nõ credidit, trãsgressiõis ligno suspẽdit̃: ut illi alteri cõtigit eunucho q́u dæorũ imaginẽ indicauit. Præterea narrat Pharao somniũ, interp̃tat̃ Ioseph. Sed quid significãt vii. anni q in vii. spicis plenis, seu q in septẽ uaccis piguib. ostendebant̃, nisi septẽ charismatũ spiritualiũ dona, quibus

quibus ubertas fidei larga pietate redundat? At cõ
trà, septem steriles & ieiunæ, famem ueritatis & iu
stitiæ nouissimis tẽporibus significabãt. Congre
gauit aũt Ioseph per septem annos omniũ frugum
abundantiã.) id est frumenta fidei sanctorũ horreis
cõdẽs, per illa scilicet septem charismata quasi per
septem annos: ut cum septẽ anni inopiæ cęperint,
idem cũ iniquitas illa occurrerit septem capitaliũ
criminum sub Antichristo, quando fames fidei fue-
rit & salutis, tunc sancti pariter & fideles habeant
curiosam iustitiæ frugem: ne fides eorũ inopia ser-
monis attenuata, deficiat. Inde Ioseph qui typũ in
duerat Christi, currum meruit: & præconauit ante
eum præco: & constituit illum super uniuersam ter
ram Aegypti. Et dominus noster postq̃ ẽ distract9
à Iuda ut Ioseph à fratribus, & de inferorũ carcere
re surrexit, ascendit currũ regni cœlestis: de quo di-
ctum est: Currus dei decem miliũ multiplex milia
lætantium. Et accepit potestatem à patre prædicã-
di & iudicandi, sicut Paulus apostolus ait: Et dedit ei
nomen quod est supra omne nomẽ: ut in noĩe Iesu
omne genu flectatur, cœlestiũ, terrestriũ & inferno
rũ. Accepit q̊q; pontificatũ, & anulũ scilicet fidei,
quo credentium aiæ salutis signo signantur fronti-
busq; & cordib9. Per signũ crucis, figura regis æter
ni exprimitur. Induiturq; stola byssina, id est car-
nem suam bysso splendidiorẽ, & stolã immortalita
tis. Accepit quoq; torquem aureã, id ẽ intellectum
bonũ. Præco ante eũ præcedit: id ẽ Iohannes bapti-
sta: q iter eius præcedẽs, præconabatur dicẽs: Para
te uiam domini: habebit aũt & aliũ pręconẽ tubam
angeli: quia ipse dixit: Veniet in tuba angeli. Voca-
tur quippe

tur quippe Ioseph lingua Aegyptiaca saluator mũdi. Quid manifestius de Christo, quando sub figura Ioseph saluator ostēditur non tantũ unius terræ Aegypti, sed etiā totius mũdi? Triginta annorũ erat Ioseph, quādo in conspectu regis Pharaōis stetit:) totidemq́ annis fuisse legitur Christus, quādo sub typo Pharaonis in conspectu mundi apparuit reuelatus. Accepit ergo ex gentibus uxorē id est ecclesiā: ex qua genuit duos filios: id est duos populos ex Iudæis & gentibus congregatos. Igitur post ubertatis annos, in uniuerso orbe fames preualuit, & merito: quia non erat qui faceret bonitatē. Post hec Ioseph à penuria frumēti saluat Aegyptum: & Christus fame uerbi dei liberat mundum. Apperuit enim horrea sua Christus in omni orbe terrarum: & erogatiōe frumenti sui omnia subiugauit. Nisi enim fratres uendidissent Ioseph, deficeret Aegyptus. Nisi Iudei Christũ crucifixissent, perierat mundus. Ioseph igitur interpretatur augmentatio siue ampliatio. Sed in illo Ioseph ampliationem nō habuit nisi sola Aegyptus: in nostro uero Ioseph augmētum meruit habere uniuersus mundus. Ille erogauit triticũ: noster erogauit dei uerbum. In omnem terram exiuit sonus eorum. Dicit Iacob filiis suis: Est frumentũ in Aegypto.) et dicit deus pater: Ex Aegypto uocaui filium meum. Descendunt igitur decem perfectiores, id est Iudæi quasi decalogo legis in numero constituti: q̃s ipse cognoscens nō ē agnitus ab eis. Cognoscuntur & Hebræi à Christo: ipsi aũt non cognoscunt eũ. Dederuntq́ illi pecuniā, sed Ioseph id est Christus, triticũ dedit & argētum reddidit: quia non pecunia emitur Christus, sed gratia. Vidit Io

seph

ſeph Beniamin fratrẽ ſuũ paruulũ.) Myſtice q̃cꝙ ui
dit dñs Ieſus Paulũ, qñ lux circũfulſit eũ. Paruulꝰ dici
tur, qa nondũ maturã in carne fidei ætatẽ gerebat.
Vnde etiã & adoleſcens legit, qñ lapidantiũ Stepha
num ueſtimenta ſeruabat. Fleuit Ioſeph.) & cæ-
citas Pauli, fletus eſt Chriſti. Lauat faciẽ ſuam.)
ut lumen ei amiſſum reſtituat. Lauat faciem ſuam
Chriſtus, ubi baptizatus eſt Paulus, per quẽ domi-
nus Ieſus à plurimis uideretur. Dehinc Ioſeph argen
teus ſcyphus, ſoli ſacculo iunioris inſeritur. Sed qd
ſibi uult ꝙ inuentus eſt in ſacco Beniamin ſcyphus
Ioſeph, niſi ꝙ in corpore Pauli iam doctrinæ cœle-
ſtis præfulgebat eloquium, dum eſſet eruditus in
lege? Sed quia ſubiectus nõ erat, intra ſaccum erat
ſcyphus: doctrina intra legẽ: lucerna intra modiũ.
Miſſus tamen Ananias manum poſuit: marſupium
ſoluit: marſupio ſoluto, argentũ reſplẽduit: & deci-
dentibus ſquamis uelut quibuſdã ſacci uinculis, ſo-
luto ſacco, id eſt depoſito legis uelamine, adeptus
eſt gratiã libertatis: & reuelata facie ſermonis euã
gelium prædicat. Dati ſunt triginta argentei cum
quinꝙ ſtolis optimis. Triginta argenteos à Chriſto
accipit, quicunꝙ prædicat trinitatẽ ſiue Chriſti cru
cem. Ideoꝙ Paulus ait: Neꝙ enim iudicaui ſcire me
aliquid inter uos niſi Chriſtum Ieſum, & hunc cruci
fixum. Vere autem ſtolas accepit: id eſt ſapientiæ
omniumꝙ ſenſuum multiplices diſciplinas. Præcel
lit igitur Paulus: quia eius exuberat portio merito-
rum. Sed tamen habent & fratres, id eſt alij prædi-
catores gratiã ſuã, binas ſtolas: id eſt ut confiteãtur
Chriſtũ & deũ eẽ & hominẽ, iuxta quod in Prouer
bijs legitur: Omnes domeſtici eius ueſtiti ſunt du-
plici-

plicibus:id est mystica uel morali intelligentia. Mit tuntur & patri munera: filius honorat patrem: Christus populū suū promissis inuitat muneribus. Portant hæc munera asini illi, gentiles inutiles & laboriosi: nūc utiles portāt in typo Christi munera: portāt in euāgelio munerꝫ largitorē. Misit ergo Ioseph fratres suos, qui nuntiauerunt patri dicētes: Ioseph uiuit: & ipse est dominus in omni terra Aegypti. Expauit aūt Iacob,) id est gēs incredula. Sed postquā Christi gesta cognouit, reuiuiscit spiritus eius: & q mortuus uidebaṫ, fide resurrectiōis Christi uiuificatur. Vocatus ergo à filijs suis, id est à Petro, Paulo & Iohāne, populus Iudęorꝫ inuitaṫ ad gratiā. Occurrit illi Iudas, q̄d interpretatū est confessio: qa præcedit iam cōfessio q̄s perfidia possidebat. Et sic Ioseph uerus Christus occurrit, qui senē iam ætate suscipiat populū Iudæorū: non secundū illius merita, sed secundū electionē suæ gratiæ: & imponit manū sup oculos eius & cæcitatē aufert: cuius idem distulit cæcitatē, ut postremus crederet, qui ante non putauit esse credendū. Vnde & Paulus ait: Quia cæcitas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentiū intraret, & sic oīs Israël saluus fieret. Tradidit post hæc Ioseph parentibus & fratribus optimā terrā Gesen, præbens eis cibaria: quia fames oppresserat terrā. Sic dominus eligens optimā terrā, parentibus id est patriarchis & prophetis, ex quibus Christus secundū carnē: siue omnibus sanctis de qbus in euāgelio dicit: Hi sunt fratres mei, qui faciūt uoluntatē meā. His igiṫ dat terrā .s. repromissiōis regni dei: de qua propheta dicit: Credo uidere bona dn̄i in terra uiuētiū. De hinc Ioseph festinās accipe bn̄dictionē patris,

patris, duos filios obtulit, Manassem & Effraim: in quibus sicut dictũ est in Esau & Iacob, dicente domino, Maior seruiet minori: ita in istis duobus filijs Ioseph. Nã maior, Manasses qui interpretatur obliuio, typum gessit Iudæorũ, qui oblitus deũ suũ qui fecit eum: Minor autem Christianorũ, qui fœcunditatem sonat, quod est propriũ populi iunioris qui corpus est Christi: qui fœcundatus est in latitudine mundi. Hos quidẽ cum benedicere uellet Iacob, posuit Ioseph Effraim ad sinistrã: Manassen autem ad dexteram aui constituit. At ille cãcellatis manibus mysterium crucis præfigurans, trãslata in minorẽ dextera, maiori sinistrã superposuit: sicq; crucis similitudo super capita eorũ denotata est: Iudæis scandalum, Christianis futurã fidẽ præsignauit: seniorẽq; per crucis mysteriũ, sinistrũ factum de dextro: & iuniorẽ dexterũ de sinistro: quia Iudæis in nostra deserta labentibus, nos illorũ gloriam adepti sumus. Talisq; sacramento maiori populo Iudæorũ, præpositus est minor populus gentium. Vnde & idẽ patriarcha sic ait: Hic quidẽ erit in populũ, sed hic exaltabitur.) His cõpletis, uocauit Iacob filios suos ut benediceret eos, mystico ordine loquens: uere tanq̃ futurorũ præscius: dixitq; eis quæ temporibus nouissimis futura erant, incipiens ita:

DE BENEDICTIONIBVS PAtriarcharum. Cap. XXXI.

Ruben primogenitus meus.) In Ruben prioris populi uidetur ostẽdisse personã, cui etiã à domino per prophetam dicitur: Israël primogenitus meus. Etenim iuxta quod primogenitis debebatur, ipsius erat sacerdotium accipere atq; regnũ:

gnum. Additur: Tu uirtus mea,) utiq; quia ex ipso populo fundamentum fidei: ex ipso uirtus dei quę est Christus aduenit. Quomodo autem ipse sui principium dolorum, nisi dum patri deo semper irrogaret iniuriam, dum cōuertit ad eum dorsum & nō faciē? Iste prior in donis.) quia primis ipsis data sunt eloquia, datur primis ipsis legislatio: & testamentū siue promissio. Iste maior imperio.) utiq; pro magnitudine uirium: quia copiosius cæteris in hoc seculo populus idē regnauit. Effusus est autem sicut aqua) peccando in Christo: quasi aqua quæ uasculo non tenetur. Voluptatis effusus est impetu, & iccirco addit: Vltra nō crescas.) qa populus ipse postq̄ in uniuersum orbē dispersus est, ualde imminutus atq; abbreuiatus est. Sed quare talia meruit, ita subiecit: Quia ascendisti cubile patris tui.) Non sicut Iudæi intelligunt hoc proinde dictū esse, eò q cū Bala concubina patris sui cōcubuerit: Prophetia enim futura prænuntiabat: non quæ fuerunt gesta, ipso patriarcha dicente: Annuntiē uobis quæ uētura sunt nouissimis diebus. Et ideo in præterito non est referēdum, quod ille futurꝝ prædixit: Prędicabat enim domini passionē, & primogenitę plebis audaciā: quia ascendit cubile dei patris sui, & maculauit stratū eius, quando corpus dominicum in quo plenitudo diuinitatis requiescebat, raptū, in cruce suspendit, & ferro commaculauit. Post hæc conuertitur ad Symeon & Leui dicens:

Symeon & Leui fratres, uasa iniquitatis bellantia.) Per Symeonem & Leui, scribæ & sacerdotes Iudaici populi intelligunt. De Symeōe enim scribæ erant Iudæorꝝ: de tribu uero Leui principes sacer-

 dotum:

dotum: de quibus scriptum est: quia consilium fecerunt ut IESVM morti traderent: de quo consilio iste patriarcha, qui iam mente uidebat deum, dicit: In consilio eorum non ueniat anima mea, & reliqua.) Horrebat enim iam illo tempore sanctus iste patriarcha uidere scelera, quæ in nouissimis temporibus facturi erant Iudæi. Sequitur: Quia in furore suo occiderunt uirum,) id est CHRISTVM: iuxta quod Esaias ait: Væ animæ ipsorum: quia cogitatio ipsorum consilium malum, aduersus se dicentes: Alligemus iustum, quia inutilis est nobis. Et in dolo suo suffoderunt murum.) quando lancea confoderunt illud spirituale & fortissimum propugnaculum qui custodit Israël. Maledictus furor eorum quia pertinax) utiq; ad tantum facinus perpetrandum: quando furore accensi & ira, obtulerunt CHRISTVM Pontio Pilato dicentes illi: Crucifige crucifige: & si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Et indignatio eorum quia dura.) dum Barabbam latronem peterent, & principem uitæ crucifigendũ postularent. Diuidã eos in Iacob, & dispergam illos in Israël.) Hic duo nominantur, diuisio & dispersio: iccirco, quia nonnulli ex ipsis domino crediderunt: quidam in infidelitate permanserunt. Diuisi enim dicuntur hi qui ab eis separant, & ueniunt ad fidem: dispersi autem hi quorum patria temploq; subuerso, per orbem terræ incredulũ genus spargitur.

Iuda te laudabunt fratres tui.) Per hunc enim Iudam uerus confessor exprimitur Christus: qui ex eius tribu secundum carnem est genitus. Ipsum laudant fratres sui, apostoli scilicet, & omnes cohære-

des

des eius: qui per adoptionem filij deo patri effecti sunt,& Christi fratres per gratiam: quorum ipse dominus est per naturam. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorũ.) Iisdẽ enim manibus, atq; eodem crucis trophæo & suos texit & inimicos: & aduersarias potestates curuauit: iuxta quod & pater promittit ei dicens: Sede ad dexterã meã, donec ponã inimicos tuos scabellũ pedũ tuorũ. Adorabunt te filij patris tui.) quoniã multi ex filijs Iacob adorabunt eũ, per electionẽ gratiæ salui facti. Catulus leõis Iuda.) qñ nascẽdo paruul⁹ factus: sicut scriptũ est: Paruulus natus est nobis. Ad prędã fili mi ascẽdisti) .i. ascendẽs in crucẽ captiuos populos redemisti: & q̃s ille leo contrarius inuaserat, tu moriẽs eripuisti: deniq; rediẽs ab inferis, ascẽdisti in altũ: captiuã duxisti captiuitatẽ. Requiescẽs accubuisti ut leo.) Manifestissime in passiõe Christus recubuit, qñ inclinato capite tradidit spiritũ: siue qñ in sepulchro securus, uelut q̃dã corporis somno quieuit. Sed quare ut leo & uelut catulus leonis? In somno eñ suo leo fuit, qa nõ necessitate sed potestate hoc ipsum impleuit: iuxta q̃d & ipse dixerat: Potestatẽ habeo ponẽdi animã meã: & : Nemo eã tollit à me, sed ego eã pono. Quod uero addidit, & ut catulus leonis, inde eñ mortuus unde & natus. Physici autẽ de catulo leõis scribũt, q̃d cũ natus fuerit, tribus diebus & tribus noctib⁹ dormit. Tũc deinde patris fremitu uel rugitu, ueluti tremefactus cubilis loc⁹, suscitare dicit catulũ dormiẽtẽ: q̃d ualde cõueniẽter de passiõis morte aptat̃ Chrõ: q trib⁹ dieb. & trib⁹ noctib⁹, ĩ cubili sepulchri iacẽs, somniũ mortis ĩpleuit. Bñ ergo Chrs ut leo requieuit: q nõ solũ mortis acerbitatẽ nõ

 timuit

timuit,sed etiam in ipsa morte, mortis imperiū deuicit. Bene idē iterū ut catulus leonis: quia die tertia resurrexit. Vnde & sic adiungitur de resurrectione eius: Quis suscitabit eum? Hoc est quia nullus hominū nisi ipse: iuxta quod idem de corpore suo dixit: Soluite hoc templū, & in triduo suscitabo illud.

Nō deficiet princeps de populo Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec ueniat qui mittēdus est: & ipse erit expectatio gentium.) Hic locus manifestissime ad Iudā refertur. Tandiu enim fuit ex semine eius apud Iudæos intemerata successio regni, donec Christus ad redemptionem mundi ex uirgine nasceretur. Probant hoc historiæ Iudæorū, in quibus ostenditur Herodē primū alienigenā, regem in gente Iudæorꝫ fuisse, quo tempore Christus natus est. Quod si putant Iudæi non uenisse Christū de tribu Iuda, ergo usqꝫ hodie Iudæorꝫ permanet regnū. Ita nō defuit rex de populo Iuda, donec ueniret cui repositū est. Sed quia non solum Iudæis profuit qui mittēdus erat, ideo sequitur: & ipse erit expectatio gentiū. Alligans ad uineā pullū suū.) Pullus suus ex gentibus populus: cui adhuc nunq̃ fuerat legis onus impositum. Hunc copulauit ad uineam apostolorum, qui ex Iudæis sunt. Nam uinea domini sabaoth, domus est Israël. Et ad uitem fili mi asinam suam.) Ipse dixit: Ego sum uitis uera. Ad hanc ergo uitem alligat asinam suam cui supersedit, Ecclesiam ex nationibus congregatam. Hanc itaqꝫ ad uitem corporis sui alligauit uinculo charitatis, & disciplinæ euangelicæ nexu: ut de imitatione illius uiuens, efficiatur hæres dei & cohæres Christi. Aliȷ̄ quoqꝫ hanc asinā synagogā interpretantur, tardi-

gradam

gradam scilicet,& graui pondere legis oppressam.
Lauabit in uino stolam suam.) siue carnem suã in sanguine passionis, siue sanctam ecclesiam in illo uino sanguinis sui, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et in sanguine uuæ pallium suum.) Pallium gentes sunt, quas corpori suo coniunxit:sicut scriptum est:Viuo ego dicit dominus,nisi hos omnes induam sicut uestimentum. Hos quippe Christus in sanguine uuæ mundauit, quando ille sicut botrus, in ligno crucis pependit. Tunc enim ex latere eius sanguis & aqua profluxit. Sed aqua nos abluit:sanguis redemit. Pulchriores oculi eius uino.) Oculi Christi apostoli sunt & euãgelistæ, qui sciẽtiæ lumen uniuerso corpori ecclesiȩ præstant. Hi pulchriores uino probantur: quia eorum doctrina austeritatem uini ueteris exuperat, id est priscæ legis traditionẽ:Euangelica enim præcepta longe clariora sunt,q̃ ueteris testamenti mandata. Et dentes lacte candidiores.) Dentes prædicatores sancti sunt,qui præcidunt ab erroribus homines: & eos quasi comedendo in Christi corpore transferũt.Nomine autem lactis doctrina legis significatur: quæ carnalem populum tanquàm paruulos,poculo lactis alebat.Cuius quidem candidiores sunt effecti doctores ecclesiæ:quia fortem & ualidum uerbi cibum mandunt atq; distribuunt: De quibus dicit Apostolus in Epistola ad Hebræos:Perfectorum autem est solidus cibus. Et bene cãdidiores lacte dentes eius dicũtur:Omnes enim qui perfecti sunt, & qui scripturarum cibos explanantes, subtilem & minutum intellectum qui spiritualis dicitur, ecclesiæ corpori subministrant, candidi esse


debent & puri atque ab omni macula liberi.

Isachar asinus fortis.) Isachar quod interpretatur merces, refertur ad populum gentium, quem dominus sanguinis sui pretio est mercatus. Hic Isachar asinus fortis scribitur: quia prius gẽtilis populus quasi brutum & luxuriosum animal erat, nullaque ratione subsistens: nunc uero fortis est, redemptori dominico colla subijciens & iugum disciplinæ euãgelicæ perferẽs. Hic accubans inter terminos, uidit requiem quòd esset bona: & terrã quòd optima,) Inter terminos nanque accubare, est præstolato mundi fine requiescere: nihilque de his quæ nunc uersantur in medio quærere: sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem & terram optimam uidet, cum simplex gentilitas iccirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternæ uitę patriam tendit. Vnde etiam apponet humerum suum ad portandum: quia dum ad præmissam requiem peruenire desiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. Vnde & factus est tributis seruiens: hoc est regi & CHRISTO suo fidei dona, operumque bonorum munera offerens.

Zabulon in littore habitabit, & in statiõe nauium.) Zabulon qui interpretatur habitaculum fortitudinis, ecclesiam significat, fortissimam ad omnem tolerãtiam passionis. Hæc in littore maris habitat & in statione nauium, ut credentibus sit refugium: & periclitantibus demonstret fidei portũ. Hæc contra omnes turbines seculi immobili & inconcussa firmitate solidata, expectat naufragium Iudæorum, & hæreticorum procellas: qui circunferuntur omni uento doctrinæ: quorum & si tũditur fluctibus

fluctibus,frangit tamen ipsa fluctus,non frãgitur: nec ullis hæresum tempestatibus cedit:nec ulli uen to schismatum commota,succumbit. Pertendit au tem usq; ad Sidonem: hoc est usq; ad gentes peruenit. Legitur etiam in euangelio,inde assumptus esse aliquos apostolorũ: & in ipsis locis dominũ sæpe docuisse:sicut scriptũ est:Terra Zabulon & terra Neptalim: uia maris trans Iordanẽ Galilææ gentium: populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam.

Dan iudicabit populũ suũ, sicut & alia tribus in Israël. Fiat Dan coluber in uia, cerastes in semita: & cætera.) Dicunt Antichristũ per hæc uerba prædici de ista tribu futurũ. Alij de Iuda à quo traditus est Christus,hæc scripta pronuntiant: Et equitem atq; equũ,dominũ cum carne suscepta designare uolũt. Retrorsum autem cadere,ut in terrã reuertatur unde sumptus est. Sed quomodo die tertia resurrexit, ideo ait: Salutare tuũ expectabo domine.) sicut & per Dauid dicit: Non relinques anımã meã in inferno. Hoc quidã ita exponunt. Alij uero hanc prophetiam ad Antichristũ transferunt:de tribu enim Dan uenire Antichristũ ferunt:pro eo q̃ hoc loco Dan & coluber asseritur & mordens. Vnde & non immerito dum Israëliticus populus terras in castrorũ participatiõe susciperet,primus Dan ad Aquilonẽ castra metatus est:illũ scilicet signãs q in corde suo dixerat: Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilõis: ascendã sup altitudinẽ nubiũ, ero similis altissimo. De quo & per prophetam dicitur: A Dan auditus est fremitus equorũ eius. Qui non solũ coluber,sed etiã cerestes uocat: κέρατα eñ Græce,cornua dicunt;



Serpens qui hic cornutus esse perhibetur, per eum digne aduentus Antichristi asseritur:qui contra uitam fidelium,cum morsu pestiferæ prædicationis, armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quàm uiam? Fit ergo coluber in uia, quia in præsentis uitæ latitudinem eos ambulare prouocat, quibus quasi parcendo blanditur:sed in uia mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui ueneno consumit. Fit iterum cerastes in semita:quia quos fideles reperit, & sese ad præcepti cœlestis angusta itinera cōstringentes,non solum nequitia callidæ persuasionis impetit,sed etiam terrore potestatis premit: & in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua potestatis Quo in loco equus hunc mundum insinuat:qui per electionem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Vngulam quippe equi mordere, est extrema seculi feriendo constringere. Vt cadat ascensor eius retro.) Ascensor equi est, quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur & non in faciem: sicut Saulus cecidisse memoratur. In facie enim cadere, est in hac uita suas unumquenque culpas agnoscere: easq; pœnitendo deflere. Retro uero quò non uidetur cadere,est ex hac uita repente decidere: & ad quæ supplicia ducatur, ignorare. Et quia Iudæa erroris sui laqueis capta, pro CHRISTO Antichristum expectat,bene Iacob eodem loco repente in electorum uoce conuersus est dicēs: Salutare tuum expectabo domine.)id est non

non ſicut infideles Antichriſtum, ſed eum qui in redemptionē noſtram uenturus eſt, uerum credo fideliter Chriſtum.

Gad accinctus præliabitur ante eum.) Iſte Gad accinctus perſonam domini exprimit: qui in primo aduentu humilitatis ſuæ ante aduentum Antichriſti præliaturus occurrit: accinctus gladio uerbi ſui circa fœmur potentiſſime, quo inimicos diuiſit: id eſt filium à patre: filiam à matre: nurum à ſocru: iuxta quod legitur in Euangelio: Non ueni pacem mittere ſed gladium. Quòd autem ait, Et ipſe accingetur retrorſum.) claritas domini noſtri in ſecundo aduentu eius oſtenditur: quia cum uenerit Antichriſtus, itē recurret retrorſum: id ē poſt eius ueſtigia Chriſtus celeri aduētu progrediēs, ut interficiat eum gladio oris ſui: Vnde & bene Gad, id eſt latrunculus interpretat: eo ꝙ poſterior, id eſt ſecus pedes quaſi latrūculus, rapido atꝗ improuiſo aduentu exiliat cōtra apertam Antichriſti oppugnationem. Hinc eſt quod Euangeliſta proclamat dicēs: Quia dies domini ſicut fur, ita in nocte ueniet. Chriſtus ergo & ante & retro præliari cōtra Antichriſtum dicitur. Ante eum nāꝗ in occulto aduētu humilitatis: poſt eū, manifeſtus in gloria maieſtatis. Demōſtrat aperte & Moyſes prophetiam patriarchæ hui⁹ ſpecialiter pertinere ad Chriſtum: ſic enim ait: Benedictus inquit, in latitudine Gad: quaſi leo requieuit: cœpit brachium & uerticem: & uidit principatum ſuum. Agnoſcant itaꝗ, quis requieuerit ſicut leo, niſi Chriſtus in ſepulchro ſuo: quis confregerit brachia uerticemꝗ potentium, niſi redemptor noſter qui humiliauit uirtutem & ſuper-

biam excelſorum? Quis uidit principatũ ſuum, niſi ille cui datus eſt principatus, & honor & regnũ?

Aſer pinguis panis eius: & prębebit delitias regibus.) Aſer cuius nomen ſignificat diuitias, idẽ Chriſtus eſt: cuius eſt altitudo diuitiarꝫ ſapiẽtię & ſcientiæ: qui propter nos pauper factus eſt cum diues eſſet: cuius panis pinguis factus eſt, caro ſcilicet eius quæ eſt eſca ſanctorum: quam ſi quis mãducauerit, nõ morietur in æternum. Iſte enim prębet delicias ſapientiæ regibus: id eſt, qui ſenſus proprios bene regunt: qui dominantur uitiorum ſuorũ: qui caſtigant corpora ſua, & in ſeruitutem ſubijciunt.

Neptalim quod interpretatũ dilatatio, apoſtolos & prædicatores ſanctos ſignificat: quorum prædicatio in latitudine toti⁹ mũdi diffuſa eſt. Ex hac em̃ tribu fuerunt apoſtoli: qui ſicut principes eccleſiarum & duces: & principes Zabulon, & principes Neptalim: qui ſine dubio ad perſonam referunt apoſtolorum. Ipſi ſunt filij excuſſorum, id eſt prophetarum: qui in manu potentis dei poſiti, & tanq̃ ſagittæ excuſſæ, peruenerunt uſq; ad fines terræ. Vnde & bene hic Neptalim ceruus emiſſus ſcribitur: quia nimirum quod ſiue prædicatores ueloci ſaltu exilientes in morem ceruorum, tranſcendunt implicamenta ſeculi huius: ſicq; excelſa ac ſublimia meditãtes, dant eloquia pulchritudinis: id eſt prędicãt cunctis gentibus doctrinam domini ſaluatoris.

Filius accreſcens Ioſeph.) Hæc prophetia poſt paſſionem domini paternæ uocis imaginem prætulit: qua redeũtem in cœlum poſt uictoriam Chriſtum, pater alloquitur dicens: Filius accreſcens Ioſeph. Filius accreſcens utiq; in gentibus: quia cum

ob incre

ob icredulitatem synagogæ populum reliquisset innumerabilem sibi plebem ecclesiæ, ex omnibus gentibus ampliauit, quod & Dauid cecinit dicens: Reminiscentur & conuertentur ad dominum uniuersi fines terræ. Filius accresces & decorus aspectu.)Omnes enim superat illius pulchritudo: iuxta quod & de ipso in psalmis canit: Speciosus forma præ filijs hominum. Filię discurrerunt super murum.)id ẽ gẽtes uel ecclesiæ quę crediderũt in Christum. Hæ super soliditatem fidei, quasi super murũ, amore pulchritudinis CHRISTI accensæ, discurrunt: ut uerum sponsum per contemplationem aspiciant: & osculo charitatis illi copulentur atq; adhæreant. Sed obiurgati sunt eum, quando falsis testimonijs calumniãtes, sanctum dei opprimere synagogæ populi cogitauerunt. Inuiderunt illi habentes iacula.) neq; enim quisquam in Ioseph coniecit sagittas, uel aliquod uulneris telũ, sed hoc specialiter euenit in CHRISTVM. Sedit in forti arcus eius.)Christ⁹ enim arcum suum & arma pugnãdi posuit in deo, q fortis est propugnator: cui⁹ uirtute conceditur omnis nequitia perfidorum. Et dissoluta sunt uincula brachiorum eius.) quibus fratres eum uinctum ad Pilatum duxerũt: uel quibus eũ suspensum ligno, crucifixerunt. Recisa sunt enim per manum dei omnipotentis Iacob: hoc est, per manum omnipotentis dei Iacob: ex cuius ore ipse dominus bonus pastor egressus est: lapis & firmitas credentiũ in Israhel. Deus patris tui erit adiutor tuus.) Quis adiuuit filiũ nisi solus pater deus qui dixit: Puer me⁹ Iacob suscipiat eũ aĩa mea? Et oĩpotens benedicet tibi bñdictionibus cœli desup:
benedi

benedictionibus abyssi iacentis deorsum.) Vniuersa enim subiecit ei: cœlestia per benedictionem cœli, & terrena per benedictionem abyssi iacentis deorsum: ut omnibus angelis & hominibus dominaretur. Benedictionibus uberum,) id est siue duũ testamentorũ: quorum altero nuntiatus est, altero demonstratus est: siue benedictionibus uberũ Mariæ quę uere benedicta erat, quia ijsdem sancta uirgo de se potum lactis immulsit. Vnde & illa mulier in Euangelio ait: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Benedictiõibus uberum & uuluæ.) Etiam hic benedicitur uulua eiusdem matris: illa utiq; uirginalis quę nobis Christum dominum edidit: De qua per Ieremiam prophetam: Priusq̃ te formarem in utero, noui te, & anteq̃ exires de uulua, sanctificaui te. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum tuorũ.) Benedictiones inquit, patris tui cœlestis, quæ datæ sunt tibi à summo cœli & abyssi, confortatæ sunt: id est præualuerunt benedictiõibus patrum tuorũ. Vltra omne enim sanctorum meritum patriarcharum siue prophetarum, conualuit benedictio omnipotẽtis patris in filio: ita ut ei nullus sanctorũ æquetur. Donec ueniret desiderium collium æternorũ.) Colles isti sancti sunt, qui Christi aduentum prophetãtes, magno cum desiderio incarnationẽ eius expectauerunt. De quibus dominus dicit: Quia multi iusti & prophetæ cupierunt uidere quæ uidetis. Hi ergo sancti, dicti sunt colles propter excellẽtiam sanctitatis. Qui etiam & æterni uocantur: quia uitam consequuntur æternam. Nec intereunt cum mundo, sed esse creduntur æterni. Fiant in capite Ioseph

seph.) omnes scilicet benedictiões istę super caput Christi ponũtur:quas incarnatus accepit. Et super uerticem Nazaræi.) de quo scriptum est: Quoniam Nazaræus uocabitur, id est sanctus dei. Inter fratres suos.) quia ipse est caput omniũ eminẽs uniuersoꝝ sanctoꝝ:q̃s etiã & frẽs uocat in psalmis.

Beniamin lupus rapax, mane comedet prędam: uespere diuidet spolia.) Quibus dictis apostolus Paulus designatur, de Beniamin stirpe progenitus:qui mane rapuit prædam .i. primordijs fideles quos potuit, deuastauit:uespere aũt spolia diuidit, quia fidelis postmodũ factus,sacra eloquia audientibus, discretiõe mirifica dispẽsauit. Legimus quendã ex doctoribus,ad urbẽHierusalẽ ea quæ de Beniamin scripta sunt referentẽ:Beniamin inquit,filius doloris interpretatur: Hic forte hæreditatis eũ locũ accepit,in quo terrena est Hierusalẽ, quę nunc propter incredulitatẽ abiecta est atq; repulsa . Hæc enĩ in filijs suis sub persona Beniamin designatur: Nam sicut Beniamin ultimam cõsequitur benedictionẽ, ita & idem populus,ultimus est saluandus,posteaquam plenitudo gentium introierit.Dicit enim:Beniamin lupus rapax:lupus scilicet, quia ipse populus effudit sanguinẽ prophetarum atq; iustorum: Rapax autem propter auiditatem dicitur: ex multa enim fame & inedia, uerbum dei, uenit rapax: quia & ipse uiolenter diripuit regnum dei.Hic autẽ mane comedet prędam:Mane,illud tempus creditur quo legem accepit:Tunc enim mundo prima q dem illuminatio scientię data est.Comedet autem mane,quia legem quam mane accepit, edit adhuc & meditatur,licet sequens legẽ iustitię,in legem sĩ

dei

dei nõ peruenerit. Ad uesperam autem diuidet spolia. Vespera est illud tempus nouissimum, à quo cõuertetur. Tunc ergo diuidet escã: tunc intelliget diuidendã esse literam ab spũ, & tũc cognoscet quia litera occidit, spũs aũt uiuificat. Qđ ergo iã per gratiam domini illuminatus, incipit in lege spũalia à corporalibus diuidere & separare: ideo dicitur ad uesperã diuidere escã, qđ tota die in lege meditãs, antè nõ fecit. Quærit̃ aũt de Iacob, cur oẽs quos de libris & de ancillis genuit, æquali honore filios & hæredes cõstituerit: nisi ut ostẽderet, qđ Chrũs dominus oĩbus gẽtibus, quæ per fidẽ corpori eius cõciliantur, cunctis pari honore & gloria habitis, cælestia præmia largiat̃. Nec est discretio, Iudæus an Græcus, barbarus an Scytha, seruus an liber sit, qa per oĩa & in oĩbus Chrũs est. Propterea enim figuram serui saluator noster & dñs induit, & pro libero & pro seruo seruiuit, ut omnibus credentibus in se æquale donũ bonoꝝ cælestiũ largiat̃. Nec p̃fertur apud illũ qui scđm carnẽ nobilior sit. Quicunq; eñ fidẽ dñi promeret̃, nullis maculis carnalis natiuitas obfuscatur. Nã hoc ita futurũ, etiã ꝑ prophetam significatur, dicente domino: Erit in diebus nouissimis, effundam de spũ meo super oẽm carnẽ.

Enarrationis Isidori in Genesim finis.

CAPITVLORVM Exodi elenchus.

DE septuaginta animabus.	I
De morte Ioseph.	II
De afflictione populi.	III
De masculorum nece.	IIII

ELENCHVS CAPITVM.

De inuentione Moyſi. V
De occiſo Aegyptio. VI
De manifeſtatione dei in rubo. VII
De uirga in ſerpentem conuerſa. VIII
De manu Moyſi in ſinum miſſa. IX
De aquis conuerſis in ſanguinem. X
De ingreſſu Moyſi ad Pharaonem. XI
De uirga in draconem conuerſa. XII
De obduratione Pharaonis. XIII
De decem plagis XIIII
De paſcha. XV
De argento & auro Aegyptiorum ſublato. XVI
De azymis. XVII
De columna ignis & nubis. XVIII
De diuiſione maris. XIX
De cantico glorificationis. XX
De aquis maris. XXI
De duodecim fontibus. XXII
De carnibus alitum & manna. XXIII
De petra uirga percuſſa. XXIIII
De pugna Amalech. XXV
De cognato Moyſi. XXVI
De aſcenſione Moyſi in montem. XXVII
De monte Sina, & tonitruis cum fulgure, & caligine. XXVIII
De decem uerbis. XXIX
De duabus tabulis. XXX
De lapideis tabulis. XXXI
De eo qđ iuſſum ē: Altare de terra facietis. XXXII
De eo quod ait: Non ædificabitis illud de ſectis lapidibus. XXXIII
De eo qđ ait: Nõ accedetis ad eũ p̄ gradus. XXXIIII

De

De Hebræo sex annis seruiente. XXXV
De talione. XXXVI
De decimis & primícijs offerendis. XXXVII
De uitulo combusto igni. XXXVIII
De interfectis tribus milibus hominum. XXXIX
De confractione tabularum. XL
De quadraginta diebus, quibus ieiunauit Moyses. XLI
De eo quod deus dicit ad Moysen, posteriora mea uidebis. XLII
De glorificatione Moysi. XLIII
De ædificatione arcæ. XLIIII
De urna aurea, tabulis & uirga. XLV
De propiciatorio & cherubin. XLVI
De altari. XLVII
De mensa. XLVIII
De candelabro & oleo. XLIX
De tabernaculo. L
De columnis, eius basibus & capitellis. LI
De tabulis deauratis. LII
De decem cortinis. LIII
De undecim uelis Cilicinis. LIIII
De oppanso uelo in medio tabernaculi. LV
De diuersis donarijs ad constructionem tabernaculi. LVI
De ungento quo perungitur tabernaculũ. LVII
De incenso composito. LVIII
De ueste pontificis. LIX

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in Exodum, Prologus.

QVædam mysteria ex libro Genesi, & obscuriora rerum gestarum quæ allegoricis sunt obtecta figuris, ex libris maiorum breuiter excerpta, perstrinximus. Nonnulla uero sequentis legis typica & figurata mysteria, singillatim ex literis sanctorum uirorũ sublata, subiungimus: pauca scilicet eorũ stylo promentes. Nam omnia legis quis poterit indagare: quæ tam immensa sunt, ut nec iuxta historiæ textum explicari facile possint? Proinde tantũ secuti sumus, quantũ contiguo operi sufficiendum putauimus: ut nec libellus excedat modũ, nec lector incurrat fastidium.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in Exodum Enarratio

De septuaginta animabus. Cap. I.



PRIMO OMNIVM SEPTVAGINta animæ cum Iacob introierunt in Aegypto, id est septuaginta discipuli ad prædicandum uerbum dei toto mittũtur in mũdo. Aliter hæ septuaginta animæ quæ in Aegypto ingressæ sunt, mystice in numero remissiõis accipiuntur: scilicet ut huic seculo quod per Aegyptum figurabatur, post tanta peccata & sacrilegia, donaretur remissio peccatorum. Aegyptus enim, hic mundus figuraliter multis prophetarum uocibus approbatur.

De morte Ioseph. Cap. II.

MOrtuo Ioseph & fratribus eius, creuerunt filij Israël: & inualuerũt nimis. Sic & noster

h uerus

uetus Ioseph, postquàm destruxit diabolũ qui habebat mortis imperiũ, multiplicatus est fideliũ populus. Nisi enim sicut ipse ait, cecidisset granum frumenti in terra & mortuũ fuisset, non utiq; fructum nunc plurimũ totius orbis terræ ecclesia sustulisset.

DE afflictione populi. Cap. III.

Afflixit Pharao filios Israël luto & latere.) Israël similitudo est populi dei, Pharao autẽ Zabuli, qui imposuit iugũ grauissimũ seruitutis luto & latere operari: id est terrenis & lutulentis operibus incubare. Admixtis paleis.) hoc est leuibus & irrationabilibus factis: ut his uitiorũ actibus populus dei comprimi, & peccatorum omnium muro incredulitatis posset obcludi: ut nemo esset q regnũ eius aut disperderet aut uinceret.

DE masculorum nece. Cap. IIII.

Iubet quoq; masculos Pharao occidi, & fœminas uiuere. Sic Zabulus, ne robur fidei præualeret, conabat ut interfectis uirtutib⁹ uitia remanerẽt: fortissimosq; & uiriles animi sensus unde cœlestia sapimus & diuina. i. rationẽ, prudentiã, cõstãtiã, innocentiã & fidẽ, in hoĩe occidere: & illud in eo uiuere q̃d fœmineũ, q̃d imbecille & fragile, & pnũ ad uitia cernit. i. ambitionẽ, uinolẽtiã, libidinẽ, iracũdiã, crudelitatẽ, furorẽ, &c. his filia, q̃ in fœminarũ figura sunt.

DE inuẽtione Moysi. Ca. V.

Deinde Moyses ad ripã fluminis expositus reperit. Et dñs cui⁹ Moyses typũ induerat, ad flumẽ lauacri, & ad aquã baptismatis à credẽtibus inuenit. Plorabat infans.) qa Christus ueteris hominis quẽ induerat peccata deflebat. Vnde & ad resuscitandũ Lazarũ fleuit, Iudæorũ deplorãs perfidiã,

perfidiã. Filia Pharaonis deſcendens ad lauacrũ fluminis, collegit infantẽ.) eccleſia ex gentibus lauacri ſalutaris ſanctificationẽ deſiderans, excepit Chriſtũ à ſynagoga matre carnali expulſum quaſi infantẽ: quia tunc paruulus uidebatᵉ, cũ in homine cerneretᵉ. Inuenit illa Moyſen incluſum in uaſculo tipin, q̃d ex multis agreſtibus uirgulis fit. Inuenit Chriſtũ eccleſia reconditũ in cordibus ſanctorũ: qui in unitatẽ ſui contexti ex multorũ fratrũ membris, omnes unũ in Chriſto corpus effecti ſunt: & eũ religioſa obſeruatione ſuſcipientes tuentur.

DE occiſo Aegyptio. Cap. VI.

INterea Moyſes peregrinũ fratrẽ ab Aegyptio liberauit. Ab Aegyptio iniuriã perpetiẽtẽ inultũ eſſe non perferens, fratrẽ defendit: & eundẽ Aegyptiũ occidit. Cuius figura facillime occurrit, iniurioſum nobis in hac peregrinatione diabolũ, à dño Chriſto nobis defenſis occidi. Quòd uero in ſabulo harenæ obruit interemptũ, manifeſtũ eſt eius iam morticinã præſentiã in eis latere, qui non habẽt ſtabile fundamentũ. Vnde & eccleſiã dñs in petra ædificat: & eos qui audiunt uerbũ eius & faciũt, cõparat prudẽti uiro qui ædificat domũ ſuã ſupra petrã, ne tentationibus cedat & corruat. Illos aũt qui audiunt & non faciũt, cõparat ſtulto ædificanti ſuper harenã: cuius tẽtata domus ruinã efficit magnam.

DE manifeſtatiõe dei in rubo. Ca. VII.

DEinde apparuit dñs Moyſi in rubo, mittẽs eũ ad gẽtẽ, quã p̃ſciebat íniquã futurã. Et erat flãma in rubo.).i. in ſpinis: & rubus nõ cremabatᵉ.) Rub⁹ ſpinę pctõꝝ Iudaicoꝝ. Flãma in rubo, ỽbũ dei. Q. ergo illis lex data ẽ, flãma erat ĩ rubo Q.

 lege

lege data non sunt consumpta peccata, rubus nec sub igne cremabatur. Alij in rubo flammante & nõ urente, ecclesiã intelligunt inflammari persecutionibus: & eam loquente in illa domino non perire. Quod uero dominus Moysi in eodẽ rubo apparuisse legitur, ostendit non alibi q̃ in ecclesia eũ credentibus apparere: quia nullus digne consistere uel deum uidere potest, nisi qui cuncta terrena & mortalia deposuerit uitia, quod significabant illa Moysi calceamenta deposita. Habet quippe & aliã figurã id, q̃ Moyses excalceari iubetur. Veterũ nanq; consuetudo erat, ut si sponsa sponsum repudiare uellet, discalcearetur ille: & hoc esset signũ repudij. Proinde Moyses excalceari iubetur, ne ad ecclesiã quæ in rubo significabatur, quasi spõsus calceatus accederet. Hæc enim Christo seruabaẽ, qui uerus sponsus erat. De quo dicit Iohannes: cuius non sum dignus corrigiã soluere calceamenti: utiq; sicut dictũ est Iosue & Moysi. Hebræi autẽ dicunt propterea in rubo apparuisse deũ Moysi, non in alio ligno, ne forte exculperent in eodẽ Iudęi idolum. Semper enim deus abstulit occasionem idololatriæ.

De uirga in serpentẽ conuersa. Cap. VIII.

Mittitur dehinc Moyses ad liberandũ populum Israël: qui dicit dño: Quod signum habebo ut credant mihi, quia me misisti? Et deus ad illũ: Proijce uirgã inquit quam in manu gestas in terrã. Et proiecit in terrã, & factus est serpens. Expauit Moyses & fugit. Et ait illi dominus: Apprehende caudã eius. Et apprehẽdit: & facta est iterũ uirga.) Quid enim hoc significat? Serpens eñ persuasit homini mortem. Ergo mors à serpẽte. Vir-

ga itaq; in serpente: Christus in morte. Et tamē expauit, & fugit Moyses. Quid est ab illo serpente fugisse Moysen, nisi quod legitur in euangelio factū, mortuus est Christus, & expauerūt discipuli: & ab illa spe in qua fuerunt, recesserūt? Sed quid dictum est, apprehēde caudā eius? Quid est cauda nisi posteriora? hoc significauit: posteriora mea uidebis. Primo enim factus est serpens: sed cauda apprehensa facta est uirga: quia primo occisus est: postea peractis omnibus, ad id quod fuerat resurgendo reuersus est: ubi per uitæ reparationē morte consumpta, nihil in eo serpentis apparuit. Est etiā in cauda serpentis, seculi finis: quia sic mortalitas ecclesiæ, per lubrica tempoꝝ uoluitur: alij eunt, alij ueniunt. Per mortē tanq̄ per serpentē mors seminata est. Sed fine nouissimo uelut cauda seculi, redimus ad manū dei, atq; apprehensi reparabimur: & nouissima inimica morte destructa, resurgentes in dextera dei, uirga regni erimus.

DE manu Moysi in sinu missa. Ca. IX.

ITem datur aliud signū Moysi: Mitte inqt manū in sinū tuū: Et misit. Produc inquit eā: & produxit. Et inuenta est alba) id est immūda. Albor enim in cute, lepra est non candor. Ipsa enim hæreditas dei, id est populus eius foras ab eo missus, im mundus factus est: sicut scriptū est de ea: Vt qd auertis faciē tuā & dexterā tuam de medio sinu tuo? Sed quid illi ait? Reuoca eam in sinum tuum. Reuocauit, & reuersa est ad colorem suum.) Sic & plebs Iudæa nunc aliena est à sinu dei, & foris immunda remansit: sed reuocat eam, & redit ad pristinum colorem, dum agnouerit dominum saluatorem. Nūc

enim cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentiū intrauerit, & ſic om̄is Iſraël ſalus fiat.

DE aquis conuerſis in ſanguinē. Cap. X.

DEinde aquæ miſſæ in terram à Moyſe uertūtur in ſanguinem: id eſt populi in ſanguinis Chriſti fidem. Aquæ enim ait Apocalypſis, quas uidiſti, populi ſunt & gentes.

DE ingreſſu Moyſi ad Pharaonē. Cap. XI.

POſt hæc intrant ad Pharaonem Moyſes & Aaron, petentes uiā triū dierꝫ proficiſci in deſerto populū Iſraël: & ibi ſacrificare domino deo. Quæ eſt uia triū dierū quæ nobis incedēda eſt, ut exeuntes de Aegypto, peruenire poſſimus ad locū in quo immolare debeamus? Via iſta Chriſtus eſt, qui dixit: Ego ſum uia, & ueritas & uita. Quæ uia triduo nobis incedēda eſt. Qui enim confeſſus fuerit in ore ſuo dominū Ieſum, & crediderit in corde ſuo ꝙ deus illum ſuſcitauit à mortuis tertia die, ſaluus erit. Hæc eſt ergo tridui uia, per quā peruenitur in locū in quo domino immoletur: & reddatur ſacrificiū laudis. Abominationes inquiunt Aegyptiorꝫ immolabimus domino deo noſtro.) Oues quippe Aegyptij edere dedignantur: ſed ꝙ abominant Aegyptij, hoc Iſraëlitæ deo offerunt: quia ſimplicitatem conſcientiæ ꝗ ſapientes huius ſeculi, hoc eſt ciues Aegypti quaſi fatuitatē deputant, hanc iuſti deo in ſacrificiū immolāt. Et per id deo placere procurant, ꝙ ſeculo & mundo abiectū & contēptibile eſſe conſiderant, ſecundū Apoſtolū qui ait: Nā quæ ſtulta ſunt mundi elegit deus, ut confundat ſapientes. Ex quo autē loqui cœpit Moyſes ad Pharaonē, magis affligit populus dei. Ex quo enim in animā

hominis sermo dei perlatus fuerit, acrius callidus hostis cõsurgit: & maiora uitia qbus uincat, immittit. Pri⁹ uero q̃ ueniret sermo q argueret uitia, in pace durabant. Sed ubi sermo dei facere cœpit uniuscuiusq; discrimẽ, tũc conturbatio magna cõsurgit.

DE uirga in draconẽ conuersa. Ca. XII.

PRoiecit deinde Moyses uirgã corã Pharaone: & serpens facta deuorauit serpẽtes Aegyptiorum: significans ꝙ uerbũ caro fieret qui serpẽtis diri uenena euacuaret per remissionẽ & indulgẽtiam peccatorũ. Virga enim est uerbũ directũ regale, plenũ potestatis, insigne imperij. Virga serpẽs facta est: quoniã qui erat filius dei ex deo patre natus, filius hominis factus est natus ex uirgine: qui quasi serpẽs exaltatus in cruce, medicinã uulneribus infudit humanis: Vnde ipse dominus ait: Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Virga enim Moysi in draconẽ conuersa, magorꝫ absorbuit uirgas: & Christus postposita gloriæ suæ dignitate, factus est obediẽs usq; ad mortẽ: & per ipsam mortẽ carnis, consumpsit aculeum mortis; attestante propheta: Ero mors tua ò mors: ero morsus tuus inferne.

DE obduratione Pharaonis. Cap. XIII.

INdurauit dominus cor Pharaonis: scilicet quia diabolũ sic indurauit post peccatũ, ut pœnitentiæ cõpunctione nunq̃ emolliat: sicut in Iob de eo scriptũ est: Cor eius indurabit quasi lapis.

DE decem plagis. Cap. XIIII.

DEhinc inferũt plagę in Aegyptũ. Licet illa in Aegypto corporaliter gesta sint, spũaliter tñ nũc gerunt in nobis. Aegypt⁹ nãq; secl'i forma ẽ: in q̃

primo aquæ uertuntur in sanguinem. Aquæ Aegyptiæ erratica & lubrica philosophorũ sunt dogmata: quæ merito in sanguinẽ uertuntur, quia in rerũ causis carnaliter sentiunt. Sed ubi crux Christi mũdo huic lumen ueritatis ostendit, huiusmodi eũ correptionibus arguit, ut ex qualitate pœnarum, proprios agnoscat errores.

II. IN secunda uero plaga ranę producuntur, quibus indicari figuraliter arbitranť carmina poëtarũ, qui inani quadã & inflata modulatione, uelut ranarum sonis & cantibus, mundo huic deceptionis fabulas intulerunt. Rana est enim loquacissima uanitas. Ad nihil enim aliud animal ipsum utile est, nisi ꝙ sonum uocis improbis & importunis clamoribus reddit.

III. POst hæc sciniphes producuntur. Hoc animal pennis quidẽ suspẽditur per aëra uolitans: sed ita subtile est & minutum, ut oculi uisum nisi acute cernẽtis, effugiat: corpus autẽ cui insederit, acerbissimo terebrat stimulo: ita ut quem uolãtem uidere quis non ualet, sentiat statim pungẽtem. Hoc enim animalis genus subtilitati hæreticæ comparatur: quæ subtilibus uerborum stimulis animas terebrat: tantaq́ꝫ calliditate circunuenit, ut deceptus quisq́ꝫ nec uideat nec intelligat, unde decipiatur.

Quòd uero in tertio signo magi accesserũt dicẽtes, Hic digitus dei est.) typũ hęreticorꝫ atq́ꝫ animositatem habuerunt. Declarat hoc Apostolus dicẽs: Sicuti Iannes & Mambres restiterunt Moysi, sic & hi resistunt ueritati, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem: sed ultra non proficient. Dementia enim eorum manifesta erit omnibus: sicut

ſicut & illorum fuit. Hi autem qui per ipſam corruptionem mentis inquietiſſimi fuerunt, in ſigno tertio defecerunt, fatentes ſibi aduerſum eſſe ſpũm ſanctum, qui erat in Moyſe.

Tertio enim loco ponitur ſpũſſanctus, qui eſt digitus dei. Vnde & illi deficientes in tertio ſigno dixerunt: Digitus dei eſt hic.) Sicut autẽ conciliatus & placatus ſpũſſanctus requiem præſtat mitibus & humilibus corde, ita contrarius & aduerſus immites ac ſuperbos inquietudine exagitat, quam inquietudinem muſcæ illæ breuiſſimæ ſignificaue runt, ſub quibus magi Pharaonis defecerunt dicentes: Digitus dei eſt hic.

QVarto loco Aegyptus muſcis percutitur: Muſca enim nimis inſolens, & inquietũ animal eſt. In qua quid aliud q̃ inſolentes curæ deſiderioꝝ carnalium deſignantur? Aegyptus ergo muſcis percutit̃, quia eorum corda qui hoc ſeculum amant, deſideriorum ſuorum inquietudinibus feriũtur. Porro Septuaginta interpretes cynomyam.i.caninã muſcã poſuerũt, per quã canini mores ſignificant̃, in quibus humanæ mentis uoluptas, & libido carnis arguitur. Poteſt quidem hic locus ſignificare etiã per muſcam caninam eloquentiam forenſiũ hominũ, quia uelut canes alterutro ſe lacerant. IIII.

IAm uero quinto in loco animalium nece uel pecudũ, Aegyptus uerberat̃. Vecordia in hoc arguit̃ & ſtultitia mortalium, quæ tanq̃ irrationabilia pecora, cultũ & uocabulũ dei impoſuerũt figuris, nõ ſolum hominũ, ſed & pecudũ, ligno et lapidibus impreſſis. Ammonẽ Iouem in ariete uenerant̃, & Anubim in cane, Apin quoq; colentes in tauro, & cæte- V.

ra quoq; quæ Aegyptus pro ſummo deo portenta miratur, & in quibus cultum credebant ineſſe diui num, in his uiderunt miſeranda ſupplicia.

VI. HVlcera poſthæc & ueſicæ tumẽtes feruoris uel liuoris, ſexto in uerbere producuntur. In hulceribus arguitur huius ſeculi doloſa & purulenta malitia: in ueſicis tumens & inflata ſuperbia: in feruoribus ira ac furoris inſania. Hucuſq; eñ talia per errorũ ſuorũ figuras mundo ſupplicia temperantur.

VII. POſt hæc uero uerbera ueniũt de ſupernis uoces, ſcilicet tonitrua & grando & ignis diſcurrens. In tonitruis eñ increpationes ac diuinę correptiones intelliguntur, quia non cũ ſilentio uerberat, ſed dat uoces, & doctrinã cœlitus mittit, per quã pòſt culpam ſuam caſtigatus agnoſceret mundus. Dat & grandinem, per quã tenera adhuc uaſtentur naſcẽtia uitiorũ: dat & ignem, ſciens eſſe ſpinas & tribulos, q̃s debeat ignis ille depaſcere, de quo dicit dominus: Ignem ueni mittere in terram. Per hunc eñ incentiua uoluptatis & libidinis conſumuntur.

VIII. QVod autem locuſtarũ octauo in loco fit mẽtio, putatur à quibuſdã per hoc genus plagæ, diſſidẽtis à ſe & diſcordãtis humani generis inconſtantia confutari. Alio quoq; ſenſu locuſtæ per mobilitatem leuitatis accipiendæ ſunt, tanquam uagæ & ſalientes animæ in ſeculi uoluptates.

IX. NOna plaga tenebræ factæ ſunt, ſiue ut mẽtis eorum cæcitas arguatur, ſiue ut intelligant diuinę diſpenſationis & prouidentię, obſcuriſſimas eſſe rationes. Poſuit enim deus tenebras latibulum ſuum quas illi audacter & temere perſcrutari cupientes, & alia ex aliis aſſerẽtes, in craſſas & palpabiles igno

rã-

rantiæ tenebras deuoluti sunt.

AD ultimum delentur primogenita Aegyptiorũ, X.
siue principatus, & potestates, & mundi rectores tenebrarum harum, siue autores & inuentores falsarum quæ in hoc muudo fuerunt religionum, quas CHRISTI ueritas cum suis extinxit & deleuit autoribus. Porro quod sequitur: In dijs eorum fecit iudicium.) Illud Hebræi autumant, quod nocte qua egressus est populus, omia in Aegypto tẽpla destructa sunt, siue motu terræ, siue tactu fulminum. Spiritualiter autem dicimus, quod egredientibus nobis ex Aegypto, errorum idola corruãt, & omnis peruersorum dogmatum cultura quatiatur.

DE PASCHA. Cap. XV.

INterea fit pascha in occisione agni. Occiditur Christus, de quo in euangelio dicit: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vespere autẽ immolatur agnus: in uespera mundi passus est dominus. Prohibentur qui pascha faciunt ossa frangere, non franguntur in cruce ossa domini, attestante euangelista qui dicit: Os non comminuetis. Sanguine agni liniuntur Israëlitarum postes, ne uastator angelus audeat inferre perniciem. Signantur signo dominicæ passionis in frontibus fideles populi ad tutelam salutis, ut hi soli ab interitu liberentur, qui cruore dominicæ passionis corde & fronte signati sunt: qui etiã opere loquuntur: Signatũ est sup nos lumen uultus tui dñe. Vnde & appellat ipsa solennitas phase, q nos transitũ possumus uocare, eo q de peioribus ad meliora pgẽtes, tenebrosam Aegyptũ

derelinquimus. Quod autem ait de agni illius esu, Omnis alienigena non comedet ex eo: in una domo comedetur: ne efferetis de carnib⁹ eius foras.) hoc de Christi corporis sacramẽto, cuius agnus ille figuram obtinuit, proprie tenetur scriptũ: cuius corpus & sanguis in una domo, id est, in una ecclesia uesci præcipit: nec efferri foras in plebibus, scilicet hæreticorũ, quæ ab eadẽ ecclesiæ catholicæ unitate, foris uagantur.

DE ARGENTO & auro Aegyptiorum sublato. Cap. XVI.

PRæcepit dehinc populo dñs per Moysen, ut ab Aegyptijs sibi commoda peterent, quę auferrẽtur. Sicq; Moyses & populus proficiscẽs, auro & argento spoliauit Aegyptios iussu dñi dei, nihil iniuste iubentis. Quid uero hæc præfigurauerunt, nisi ꝙ in auro & argento ac ueste Aegyptiorũ significatæ sunt quædã doctrinæ, quæ ex ipsa consuetudiue gentium, non inutili studio discuntur? Siue per hoc significatum est, quod ex ipsis gentibus pretiosæ animæ tanq̃ uasa aurea & argentea, cũ suis utiq; corporibus, quod uestes significant, adiungũt se populo dei, ut simul de hoc seculo tanquam de Aegypto liberentur.

De azymis. Cap. XVII.

QVód uero ait, fermẽto sublato sic profectos esse filios Israel de Aegypto, hoc & à nobis modis omnibus, si fieri potest, elaborandum est, ut exeũtes à seculi huius illecebris, nõ ambulemus in fermento ueteris malitiæ ac nequitiæ: sed in azymis synceritatis & ueritatis: quod est noui hominis cõuersatio, relicto pristino homine cũ

uitijs

titijs suis. Et illi quidem septē diebus azyma come debāt: nos uero simpliciter & pure uersemur in his septem diebus, quibus mundus iste peragitur, qui semper in suo ordine reuoluūtur, & quotidie nobis agnus occiditur, & pascha quotidie celebraẗ, si fermentum malitiæ & nequitiæ non habeamus: si innouati, nihil ex ueteris corruptiōis malitia delecte mur. Nam quid est aliud fermētum, nisi corruptio naturę: quod & ipsum prius à naturali dulcedine recedens, adulterino acrore corruptum est. In hac no bis præcipiẗ māsione, ut semper egressionis ex Aegypto memores simus, ut celebremus pascha, id ē transitum nostrum de peioribus ad meliora, & primogenita nostri uteri. i. nostroꝝ operum, cunctarūq; uirtutum principium, dño consecremus.

De columna ignis & nubis. Cap. XVIII.

IAm tum uidetur dñs nocte in columna ignis, & per diem in columna nubis præcedēs populū, & dux factus itineris. Nubes ista præcedēs, Christus est. Idem etiā columna, quia rectus & firmus, et fulciens infirmitatē nostrā. Per noctē lucēs, per diem non lucens, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant. Potest & sic nō incongrue accipi, q̄d Christi sacramentū tanq̄ in die manifestū est in carne uelut in nube: in iudicio uero tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio seculi tanquā ignis, et lucebit iustis, et ardebit in iustis.

De diuisione maris. Cap. XIX.

SEquētibus inde Aegyptijs, pcutit uirga Moyses aquas, & transierunt filij Israel per medium mare rubrū. Quid mare rubrū nisi baptismus est Christi sanguine cōsecratus? Hostes sequentes

cum

cum rege qui à tergo moriuntur,peccata sunt prę terita quæ delentur,& diabolus qui in spirituali baptismo suffocatur.Premunt quidem Aegyptij, urgent instantia peccata,sed usq; ad aquam.

De cantico glorificationis. Cap. XX.

POst transitum rubri maris,canit canticum populus deo,& Aegyptijs & Pharaone summerso.Non aliter & fideles,postquam de lauacro descendunt,extinctis peccatis, hymnū in uoce gratulationis emittunt dicentes: Cantemus domino, gloriose enim honorificatus est,equum & ascensorem proiecit in mare. Quod tamen melius & dignius ille dicit,qui habuerit tympanum in manu sua sicut Maria,id est,carnem suam crucifixerit cum uitijs & concupiscentijs,& mortificauerit mēbra sua quæ sunt super terram.

De aquis maris. Cap. XXI.

IAm dehinc ducitur post maris transitum populus per desertum,baptizati scilicet omnes per mundum non perfruentes promissa patria,sed quod non uident sperando,per patientiam expectādo,tanquam in deserto sunt : & illic laboriosę & periculosæ tentationes,ne reuertantur corde in Aegypto.Nec ibi tandem Christus deserit,nam & ibi illa columna non recedit.

EGressis populis de mari rubro occurit eremus, in qua tribus diebus ingredientes, nō habuerūt aquam:& peruenerunt ad montem Marath,qui ex amaritudine nomē accepit.Murmurat populus uidens aquas,& potare non sustinens. Mittit lignum Moyses in aquas, & factæ sunt dulces. Intellige amaras aquas,occidentis literæ & legis habere figu

ram

tam:quibus si immittatur confessio crucis, & passionis dominicæ sacramentum iungatur, tunc efficitur aqua myrrhea suauis, id est, amaritudo literæ et legis, incipit habere figuram intelligentiæ spiritualis. Vnde & scriptum est: Cōstituit dominus populo suo legem & iudicia, & tētauit eum. Alio quoq; sensu, quòd aquę myrrheæ, id est, amarę ligno in se suscepto dulcescunt, indicio erat amaritudinem gentium per lignum crucis Christi in usum dulcedinis quandoq; esse uertendam. Sciendum uero iuxta superiorem sensum, quod primum ductus est Israël ad aquas salsas atq; amaras, & ligno monstrato à domino, dulces effectę sunt: postea uenitur ad fontes: Primo enim ducitur populus ad literam legis, in qua donec permanet, de amaritudine recedere non potest.

De duodecim fontibus. Ca. XXII.

CVm ergo per lignum uitæ dulcis fuerit effecta, & intelligi lex spiritualiter cœperit, tunc de ueteri testamento transitur ad nouum, et uenitur ad duodecim apostolicos fontes. Ibi enim arbores reperiuntur septuaginta palmarum. Non enim duodecim soli apostoli fidem Christi prædicauerunt, sed & alij septuaginta missi ad prædicandum uerbum dei referuntur, per quos palmas uictoriæ Christi, mūdus agnosceret. Siquidem & isti duodecim fontes, septuaginta palmarum arbores irrigantes, apostolicam gratiam præfigurant, populos in septenario numero decuplatos rigantem, ut per septiforme spiritus donum, legis decalogus impleatur.

De carnibus alitum & manna. Ca. XXIII.

Mur-

MVrmurat interea populus in deserto propter famẽ,& cõuersus respexit procul in nube gloriã dei,aspexit ꝗuespecoturnicẽ: & mane alterius diei,manna.Quid ẽm per uolucrũ escas,nisi prædicationes diuinitus missæ,intelligũtur,quæ transcurrunt per uerba sonantia,quasi per aerem uolatilia pennata, quibus per fidem pascantur hi,qui ad patriã regni cæleftis peruenire contẽdunt? Poteſt quidẽ & uolucrũ esca,ueteris significare legis eloquia:quæ plebẽ carnalem tanquã carne alebat per uerba diuinit⁹ missa,quasi per uolatilia. Vnde & uespere dantur, quia cuncta quæ carnaliter illis cõcessa sunt,finẽ erant habitura. Manifestato autẽ lumine fidei,manna populo datur. Manna utiq; Christus eſt,qui tãquã panis uiuus de cælo descendit,qui per nubes euãgelicas uniuerso orbi pluitur, non iã murmuranti & tentanti synagogæ, sed credenti,& in illo spẽ ponenti ecclesię.Hoc eſt autẽ manna indeficiens:hic eſt panis uerus, & cæli cib⁹ angelorum,quod uerbũ dei corruptibiles,incorruptibiliter pascit:quod ut manducaret homo, caro factũ eſt & habitauit in nobis, quo etiã qui uescũtur, spũaliter uiuunt.Nã illi ueterẽ figurã carnaliter accipientes,mortui sunt. Non incongrue autẽ & per manna etiam cælestia significantur eloquia, unde & interpretatio nominis sic sonat: Mãna enim interpretatur,quid eſt hoc? Cum enim audimus legem dei recitari in ecclesia,interrogam⁹ doctores dicẽtes,quid eſt hoc? Hoc aũt manna minutũ erat sicut semen coriandri,& suaue.Quid ẽm uerbo dei minutius, quid'ue subtilius? Aut quid dulcius & suauius eloquijs dei,quæ sunt super mel & fauum? Sed qd

est quod sexta die duplum colligi iubetur, quod etiam sufficiat in sabbato? Sexta dies ista, est sexta ætas mundi in qua nunc sumus. In hac ergo duplum colligit, qui propter spem uitæ æternæ, uerbum dei & audit & facit. In hac duplũ recondit, qui bene uiuit, & alijs misericordia præbet. Quod & reponebatur, per sabbatũ non corrumpebatur. Bona enim opera facta propter futurã requiẽ, in futuro seculo permanent. Qui uero infideles erant, & præter causam sabbati seruabant de manna, bulliebant ex ea uermes, & cõputrescebat. Sic & qui propter præsentẽ uitã & amorẽ seculi thesaurizant, his ille uermis ebullit qui nõ morietur. Isti sunt uermes quos generat auaritia, & diuitiarũ cæca cupiditas: his qui habent pecunias, & uidentes in necessitate fratres suos, claudunt ab eis uiscera sua. Sed & is qui post susceptum dei uerbũ peccat, efficitur ei ipsi uerbũ dei uermis, qui eius semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat: quanq̃ & uermis sit Christus ipso loquẽte: Ego autẽ sum uermis & non homo. Sicut enĩ ipse est alijs in ruinam, alijs in resurrectiõem, ita & ipse in manna fidelibus quidẽ dulcedo mellis, infidelibus uermis efficitur.

DE petra uirga percussa. Cap. XXIIII.

POst manna populus queritur ob ardorẽ sitis: & fons de petra erupit. Eadem uero petra quę percussa aquã euomuit, Christi figuram habuit: quo aperto, sacramenta cuncta fluxerunt: ad quem uelut uirga, lignũ passionis accessit, ut emanaret credentibus gratiã. Percussa enim petra fons emanauit: Percussus in cruce Christus, sitientibus lauacri gratiã, & donum spiritussancti effudit. Pe-

trām enim istā figurā Christi habuisse, probat Apostolus cum dicit: Bibebant inquit de spirituali consequente eos petra: petra autē erat Christus. Q. autē sitiēs populus, pro aqua murmurat aduersus Moysen, & propterea iubet deus ut ostendat ei petrā de qua bibebant, quid hoc significat, nisi quia si quis est qui legēs Moysen murmurat aduersus eum, & displicet ei lex quæ secundū literā est scripta, ostendit ei Moyses petram quę est Christus: & adducit eū ad ipsam, ut inde bibat & reficiat sitim suam?

De pugna Amalech. Cap. XXV.

POst hæc Moyses ascendit in montem: Iesus cōtra Amalech militat. Tenet uirgam Moyses: brachiaq; sua in modum crucis extendit. Sicq; hostis id est diabolus, uiam cœlestis patriæ intercludere moliens, signo crucis dominicæ superatur. Dū leuaret manus Moyses, uincebat Israel. Rursum dū inclinaret, superabat Amalech. Eleuātibus enim nobis actus nostros ad cœlū, rectores tenebrarū subijciuntur: at contrà remissis orātes manibus, hoc est, conuersationē terrenā sectantes, hostis uictor insequitur: Sedet Moyses super lapidē de Zacharia, qui septē oculos habebat: & in Samuelis uolumine appellatur lapis adiutorij: & utranq; manum eius Aaron & Hur quasi duo populi aut duo testamenta, sustentant.

De cognato Moysi. Cap. XXVI.

DEuicto autem Amalech, uenit Iethro socer Moysi & adducit Sephoram & ecclesiā m: & utrunq; filium ex utroq; populo procreatū. Dat Moysi consilium septuaginta seniorum: audit eum Moyses & facit quodcunq; dicit: ubi magnæ admira-

admirationis est, ut Moyses propheta deo plenus, qui cũ domno facie ad faciem loquebatur, ab homine gentili consilium acciperet, & faceret omnia quæcũq; diceret illi. Quid aũt aliud esset, nisi ut formam humilitatis populorũ principibus daret: & futuri sacramenti designaret imaginem? Sciebat eñ futurum quandoq;, quoniã per populũ ex gẽtibus congregatum, ea quæ in lege deerant, eo suggerẽte complerentur, bonũq; & spirituale intellectum afferret ad legem dei: & sciebat quod audiret eundem populum lex, & faceret omnia quæcunq; diceret, legisq; diminutio suggerente euangelio, compleretur.

De ascensione Moysi in montẽ.
Caput XXVII.

SVccessit itaq; post hæc populus quadragesimaseptima die egressiõis ex Aegypto ad mõtem Sinai, ibiq; Moyses ascendit ad deum, & dominus ad eum descẽdit. Sed quid est moraliter, quod Moyses in montẽ ascẽdit, & dominus in mõte descendit? Mons quippe altitudo contẽplationis nostræ est, in quam ascendimus, ut ad ea quæ ultra infirmitatẽ nostrã sunt intuenda subleuemur. Sed in hanc dominus descendit, quia sanctis multum proficiẽtibus, parum de se aliquid eorum sensibus aperit.

De monte Sina, & tonitruis cũ fulgure, & caligine. Ca. XXVIII.

IAm deinde quinquagesima die post actum pascha, data est lex Moysi: ita & quinquagesima die post passionẽ dñi, quã pascha illud prefigurabat, datus est spiritussanct⁹, promissus paracletus,

 descen

Descendens super apostolos & qui cum eis erãt, in centũ uiginti Mosaicæ ætatis numero constitutos: & diuisis linguis credentiũ, totus euangelica prędicatione mundus impletus est. Dicitur illic scripta lex digito dei: & dominus dicit de spiritu sancto: In digito dei eijcio dæmonia. Aspicit illic cunctus populus uoces & lampades, montẽq; fumantẽ: tonitrua & fulgura, clangorẽq; buccinæ perstrepentẽ. In uocibus nanq; & tonitruis, clamor prędicationũ intelligitur. In lampadibus, claritas miraculorũ. In sonitu buccinæ, fortis prædicatio sanctorum: quæ omnia in aduentu Christi & spiritussancti cõpleta sunt, qñ omnes discipuli Christi, in uarietate linguarũ, præceptis & signis intonuerunt. Interpretatũ aũt Sinai rubus, quod significat ecclesiã: in qua & dñs Moysi loquitur. Quòd aũt legẽ daturus dñs in igne, fumoq; descendit, hoc significat, q & fideles claritatis suę ostensiõe illuminat: & infideliũ oculos per fumũ erroris obscurat. Quod uero uidet in caligine, hoc significat, q impij qui terrena sapiunt, caligine malitiæ eũ descendentẽ, id est in humilitate nascentem non agnouerũt. Aliâs in caligine uisus, legẽ dedit: quia ueritatẽ suæ legis nõ secuturis infidelibus, quasi per caliginẽ dixit: ut uidentes non uideant: & audientes non audiant.

De decem uerbis. Cap. XXIX.

Dat igitur deus Moysi legem innocentiæ nostræ, & cognitionis suę: eandemq; in decem uerba constituit, & in saxeis tabulis digito suo scripsit. Et hæc quidem præcepta ita sunt distributa, ut tria pertineant ad dilectionem diuinæ trinitatis: septem uero ad amorem fraternum, quibus societas

societas humana non læditur.

PRimũ decalogi mandatũ ad deũ patrẽ pertinet, dum dicit: Dominus deus tuus, deus unus est:) utiq; ut hæc audiens, unũ patrẽ deũ colas: & in multos fictos deos fornicationẽ tuã non effundas.

SEcundũ præceptũ ad filiũ pertinet dum dicit: Non assumas nomen domini dei tui inuanũ:) id est ne æstimes creaturã esse filiũ dei: quoniã omnis creatura uanitati subiecta est: sed credas eũ æqualẽ esse patri: deum deorum: uerbum apud deum, per quem omnia facta sunt.

TErtiũ mandatũ de sabbato ad spiritũ sanctũ pertinet, cuius dono requies nobis sempiterna promittitur. Nam quia spiritus sanctus septiformis dicitur, propterea & septimũ diẽ sanctificauit deus. In alijs enim diebus operũ, non est nominata sanctificatio nisi in sabbato, ubi dicitur: requieuit deus. Porrò igitur hoc mandatũ pertinet ad spiritũ sanctum, tàm propter nomen sanctificationis, q̃ etiã propter æternã requiẽ ad donũ sancti spiritus pertinentem. Dicitur enĩ ibi: Memẽto ut diẽ sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septimus aũt dies sabbatũ est dñi dei tui: nõ facies omne opus.) In sex dierũ opere, sex miliũ annorũ operatio continet. In septimo uero reqes, id est beati illius regni tẽpus ostendit: quod carnaliter Iudæi celebrantes peccant: & hoc non nos ad fidẽ mendacij fallentes, aptamus. Clamat dominus per prophetam dicẽs: Neomenias & sabbata uestra odiuit anima mea. Quomodo ergo sanctificata erunt sabbata illa quę odiuit dominus? Illud ergo sabbatum est sanctificatum, ubi post bona huius uitæ opera,

requies nobis æterna promittitur: Ideoq́ʒ si quicqđ agimus propter futuri seculi requiē facimus, ueraciter sabbatum obseruamus.

POst hæc tria præcepta, septenarius succedit numerus mandatorum ad dilectionem pertinens proximi: & incipit ab honore parentum: quod tamen in ordine quartum est. Honora patrem tuū & matrē tuam.) A parētibus enim suis, homo aperit oculos: & hæc uita ab eorū dilectione sumit exordium. Inde hoc mandatum primum est in septē, sicut & dominus in euangelio ait: Honora patrem tuum & matrē tuam, quod est mandatum primū. Sed quomodo primum quod est quartū, nisi quia sicut prædictum est, in septenario numero qui pertinet ad dilectionē proximi, primum est in altera tabula? Nam ideo duę tabulæ legis datæ sunt. Iubetur ergo in hoc præcepto filius honorare parētes: neq́ʒ contumeliosus illis existere, sed officio pietatis debitam reuerētiam pręstare. Nam qui parētibus honorem deferre non nouit, quibus parcere poterit qui suos odit?

QVintum, Non mœchaberis:) id est, ne quisquàm præter matrimonij sui fœdera, alijs fœminis misceatur ad explendā libidinē. Nam specialiter adulteriū facit, qui pręter suā, ad alterā accedit.

SExtum, Non occides.) Etenim non solum opere perpetrans homicidium facit, sed etiam & qui incurrit in esurientem uel nudum qui mori possit, nisi indumentum cibumq́ʒ porrigendo subueniat, & idem homicida tenebitur.

SEpimū, Non furtum facies.) quod est uitium rapacitatis.

Octauum

OCtauũ, Non falſum teſtimoniũ dices.) quod eſt crimen mendacij & falſitatis.

NOnum, Non cõcupiſces uxorẽ proximi tui.) In hoc præcepto uetat intentionẽ adulterinę cogitationis. Nam aliud eſt facere aliquid tale præter uxorẽ, aliud non appetere alienam uxorẽ: ideo duo præcepta ſunt, Non mæchaberis, & Non concupiſces uxorem proximi tui.

DEcimum, Non cõcupiſces rem proximi tui.) In quo præcepto damnat ambitionẽ ſeculi, & refrenat concupiſcentiam rerum. Itaq; horum primum prohibet ſurreptionẽ: ſecundũ errorẽ: tertiũ interficit ſeculi amorẽ: quartũ impietatẽ: quintum allidit fornicationẽ: ſextũ crudelitatẽ: ſeptimum rapacitatẽ: octauũ premit falſitatẽ: nonũ adulterij cogitationẽ: decimũ mundi cupiditatẽ. Et notandum ꝙ decẽ plagis percutiuntur Aegyptij, ſicut decem præceptis conſcribuntur tabulæ: quibus reguntur populi dei, & dæmones deijciuntur.


De duabus tabulis. Cap. XXX.

CVr autem in duabus tabulis ſcripta eſt lex, niſi aut propter duo teſtamenta ſignificãda, aut' propter duo illa præcepta dilectiõis dei & dilectionis proximi, in quibus lex tota pendet & prophetæ? Hæc enim in ſingulis tabulis explicata ſunt: in una enim tria præcepta ad dei pertinentia charitatem, in alia uero ſeptem, pertinentia ad proximi ſocietatem.

De lapideis tabulis. Cap. XXXI.

SEd cur lapideæ fuerũt, niſi ad ſignificandũ cor lapideũ Iudęoꝝ? Per lapidis eñ inſenſibilitatẽ, demonſtrauit durã eoꝝ mentis ſtoliditatẽ, de qua

 pro-



propheta dicit: Auferã à uobis cor lapideũ,& dabo uobis cor carneũ: Vnde & Apostolus: Non in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus: Neque enim hoc tabulæ carnales uolunt ut carnaliter sapiamus, sed quia in cõparatiõe lapidis qui sine sensu est,caro sentit, iccirco per lapidis duritiã significatũ est cor non intelligens:& per carnis sensibilitatem,significatũ est cor intelligens. Quod autẽ additur ibi à domino, Nõ facietis uobis deos aureos & argenteos) ab idolorũ cultu remouet:quæ quanto pretiosiora, tanto ad subuertendos imperitorum animos efficaciora.

De eo quòd iussum est,Altare de terra facietis. Cap. XXXII.

ALtare de terra facietis mihi.) Altare de terra deo facere,est incarnationẽ mediatoris sperare. Tunc quippe à deo nostrũ munus accipitur,quando in hoc altare, nostra humilitas,id est super dominicę incarnationis fidẽ posuerit, quicqd bene operatur. In latere ergo de terra oblationum munus offerimus, si actus nostros dominicæ incarnationis fide solidamus.

De eo q̃ ait,Non ædificabitis illud de sectis lapidibus. Cap. XXXIII.

DEinde adiecit, Quòd si altare lapideũ feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim leuaueris super eos cultrum, polluetur.) Secti lapides hi sunt qui unitatem scindunt, ac diuidunt semetipsos à societate fraterna per odium uel schismata. Tales in corpore suo non recipit CHRISTVS: cuius corporis

poris figuram altaris illius constructio obumbrabat. Isti uero non secti lapides ex quibus altare construi iubetur, hi sunt, qui fide morumq; unitate solidantur, de qualibus dicit Apostolus: Vos estis lapides uiui, qui coædificamini in domos spirituales. His non est iniectum ferrũ, quia incorrupti sunt, & iacula maligni ignita non receperunt: quiq; unum altare faciunt, id est unitatẽ fidei uel concordiã charitatis sequuntur.

DE eo quòd ait, Non accedetis ad illud per gradus. Cap. XXXIIII.

NOn accedes per gradus ad altare meum.) id est, non gradatim unum alij præferẽs ad me peruenies: neq; priorem atq; posteriorẽ tempore discernens: quia diuisum & sequestratum propitium non habebis. Hoc enim Arriani faciunt, qui insecabilem patris & filij & spiritus sancti substantiã diuidunt. Iam deinde quia plura legis præcepta dantur, quibusdã omissis quæ opportuniora sunt, dicenda sunt.

DE Hebræo sex annis seruiente. Cap. XXXV.

PRæcipitur enim post hæc, ut Hebræus puer si forte in seruitutẽ deuenerit, sex annis seruiat, septimo uero anno liber dimittaẽ. Quod si egredi à seruitute noluerit propter uxorẽ & filios, perforabitur auricula eius, & erit seruus in seculũ. Hoc de præsenti non diciẽ seculo, sed de futuro: quia in sex ætatibus huius seculi seruientes, septimo die æterno sabbato liberamur: si tamen uoluerimus esse liberi, dum adhuc in seculo seruimus peccato. Si autem noluerimus, perforabitur nobis auricula in testimonium inobedientiæ: & cum uxore & filijs

noſtris quos prętulimus libertati, id eſt, cum carne & operibus eius peccati, ſerui erimus in æternum.

De talione. Cap. XXXVI.

ILlud uero quid ſignificat, ꝙ in hac lege oculus pro oculo dari iubetur? Oculus enim eſt quiſqꝫ doctor, tanquam uitę demonſtrans iter. Iſte autem ſi intentionem auditoris per aliquam pernicioſam doctrinam conetur extinguere, ſi oculum lædat animæ & intellectum eius turbet, auferatur neceſſe eſt ab eccleſiæ præſulatu: & intellectus eius turbulentus ac ferox, qui ſcandalum fidei generat, proijciatur. Sed & ſi quis dẽtem læſit auditoris, per quem ſcripturarum cibos cõminuebat, & diuidẽs ſpiritualiter diſtinguebat, ut ſubtilem ex his ad interiora animæ tranſmitteret ſenſum. Quiſquis ergo huiuſmodi euellens dentem, conat̃ à corpore Chriſti præcidere, auferatur dens ille. De talibus eñ dicitur: Dentes peccatorum contriuiſti. Siquidem et manus pro manu, & pes pro pede depoſcitur. Manus ẽ actio opantis, per quã inceditur ad bona uel mala. Præcidatur ergo ille qui ſcandalum facit, nõ ſolum fide, ſed etiam in actibus, qui per manum ſignificãtur: aut offendiculum præbet, quo pedes intelliguntur. Recipiat etiam combuſtionem qui cõbuſſit, & gehennæ fraternam tradidit animam: per quæ ſingula oſtenditur, ut iſte percuſſor omnibus detruncatus membris, à corpore excidat̃ eccleſiæ, ut cæteri uidentes timorem habeant, & non faciãt ſimiliter.

De decimis & primitijs offerendis.
Caput XXXVII.

IVbetur quoqꝫ inter hæc Iſraëlitico populo deci mas

mas frugum,cunctarumq́ primitias rerum offerre domino. Spiritualiter quippe primitiæ frugum uel primogenitorum, principia operum bonorum ostendunt, uel ipsam bonam uoluntatem, quæ prior est opere, quam Pelagiani sibi tribuendo ostendunt. Deus autem dum illa sibi à nobis iubet offerri, indicat ad ipsius gratiam pertinere. In decimis itaq; domino offerendis, denarius numerus perfectionem significat, quia usq; ad ipsum numerus crescit: ideoq́ sicut in primitijs principia uoluntatum, ita decimis consummationes nostrorum operum ad deum referre præcipitur: à quo & boni operis initium, & perfectionis donatur effectus. Verum quod dixit, Primogenita asini mutabis oue.) Per asinum quippe hoc loco immũditia: per ouem uero innocentia designatur. Asini ergo primogenita oue mutare, est immũdæ uitę primordia ad innocentiæ simplicitatẽ conuertere: ut, postquã illa peccator egit, q̃ ut immunda dominus respuit, ea iam agẽdo proferat, quæ dei sacrificio mũda imponat. Quod uero sequitur: Si non redimes, occidetur.) quia nimirum mens immunda ac delictis obnoxia, si nõ fuerit in melius commutata, necabitur morte perpetua.

De uitulo combusto igni. Ca. XXXVIII.

DEscendens itaq; Moyses de mõte cũ tabulis, dũ audisset populũ q; fuerat in idolo consecratus, indignos eos iudicãs accipe legẽ, proiecit de manibus suis tabulas. Quib⁹ cõfractis, incendit uitulũ quẽ plasmauerant. Sed quid sibi uelit iste uitulus, quẽ fecerũt filij Israel in solitudine uel qd significet q; Moyses ipsum uitulum igne com-

combussit, minutatimq; concidit, & in aquam asp-gens, potum populo dedit? Si enim tabulas, quod digito dei, hoc est, operatiõe spiritussancti scriptas acceperat, ideo fregit, quia indignos eas quibus le geret iudicauit: si deniq; ut ab eis ille uitulus penitus aboleretur, incendit & contriuit, & in aquam sparsit atq; summersit, ut quid & potum populo dedit? Quem non excitet factum hoc, ad quęrendã & intelligendam propheticam significationẽ? Occurrat ergo iam intentis mẽtibus, quia diaboli corpus significatur in uitulo, id est, homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est autor diabolus est. Aureum propterea, quia uidentur idololátriæ ritus uelut à sapientibus institu ti, de quibus dicit Apostolus: Quoniam cognoscen tes deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicẽtes eñ se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrũ, & quadrupedum, & serpentium. Ex hac quasi sapiẽtia iste uitulus aureus, qualia solebant Aegyptiorum etiam ipsi primates & tanq̃ docti hoĩes, adorare figmenta. Hoc ergo uitulo significatum est omne corpus, id est, oĩs gẽtilitas, & societas idololatriæ deditorꝝ. Hanc sacrilegã societatẽ dñs Christus igne illo cõburet, de quo in euangelio ait: Ignẽ ueni mittere in terrã: ut qm̃ non est qui se abscondat à calore eius, dũ in eũ credunt gentes, igne uirtutis eius, diabolica in eis forma soluatur. Totũ deinde corpus illud cõminuit. i. ab illa malæ cõspirationis cõflatione di

fcissum uerbo ueritatis, humiliatur: & cōminutū in aquam mittitur, ut eos Israelitæ, id est, euangelij pdicatores ex baptismo in sua mēbra, hoc est, in dominicum corpus transferāt: quorum Israelitarum Petro de ipsis gentibus dictum est: Macta & manduca. Si ait, macta & manduca, quare etiam nō inquit, cōcide & bibe? Ita ille uitulus per ignē zeli, & aciē uerbi, & aquā baptismi ab eis potius quos absorbere conabatur, absorptus est.

De interfectis tribus milibus hominum.
Capue XXXIX.

NVnc autem, quid etiam propheticæ significationis habuerit, requirendū est, q ex eis multos qui se absente ipsum idolum fabricauerunt, sine ulla cuiusq necessitudinis distēsione iussit interimi. Facile est, ut intelligatur hominū illorum interēptione significari uitiorum taliū necē, qualibus ad eandē idololatriā defluxerunt. In talia qppe uitia seruire nos coercuit Apostolus cū dicit: Mortificate mēbra uestra quæ sunt super terram, fornicationē, immunditiā, luxuriā, concupiscentiā malā, & auaritiam quę est idolorum seruitus. De porta uero usq ad portā ire, est à uitio usq ad uitium, per qd ad mentē mors ingredit, cū gladio increpatiōis discutere. Sed & ipse nūerus triū miliū interfectorum, triplicē formā indicat pctōrum. Omne em pctm̄, aut facto aut uerbo aut cogitatione cōmittitur.

De confractione tabularum. Ca. XL.

AScendit itaq Moyses denuo in montem, iterūq dat ei de⁹ legē in alijs tabulis ad instar priorum præcisis. Sed qd significauerūt tabulæ, quas primū à dño Moyses accepit, & sine mora

con-

confregit? Tabulæ imaginē demonstrabant priscæ legis nō pòst longo interuallo pro populi peccato cessantis. Aliæ uero adinstar priorum iteratim incisę, noui testamenti habuere figuram. Istæ non franguntur, ut ostenderetur noui testamenti eloquia permansura. Vnde & merito decem uerbis legenda signantur, ut per eundem numerum figura crucis exprimeret̃. Huius eñ forma X litera est. Nam tracto uno apice à summo, in imū ducit̃: rursus alio non dispari per transuersa brachiorũ cōponit̃: unde & ipse ait: Non ueni legē soluere, sed implere: utiq; p passionem crucis, cuius imago fuit in tabulis.

De XL. diebus quos ieiunauit Moyses. Ca. XLI.

QVid autē sibi uelit, quòd Moyses quadraginta diebus ieiunauerit? Cuius actiōis quædā figura est, in huius numeri consideratiōe. Quadragenario eñ numero & Moyses, & Helias, & ipse dñs ieiunauerunt. Pręcipitur eñ nobis ex lege, & ex prophetis, & ipso euāgelio, qd̃ testimoniū habet à lege & prophetis. Vnde etiā in monte inter utrāq; personā medius saluator effulsit, ut ab omnibus mundi illecebris auiditatē nostrā tanq̃ ieiunio temperantiæ refrenemus, quādiu perfectio decalogi legis, per quatuor eiusdem mundi partes, id ē, toto orbe prædicatur: ut decem quater ducta, quadragenarium numerū signent.

De eo quòd deus dicit ad Moysen: Posteriora mea uidebis. Cap. XLII.

QVòd uero petiuit Moyses, ut claritatem dñi uideret, dicens: Si inueni gratiā apud te, ostēde mihi temetipsum manifeste.) Accepit enim in pręsenti congruum responsum, quòd faciē

domini uidere non posset, quam nemo hominum uideret & uiueret. Quid est ergo: Faciem meã uidere non poteris,) nisi quia quamuis usq; ad parilitatẽ angelicã humana etiã post resurrectionẽ natura ꝓficiat, & ad contẽplandũ deũ indefessa consurgat: uidere tamen eius essentiã plene nõ prævalet: quam ne ipsa ꝑfectio angelica in toto uel integre attingit scire, scdm Apostolũ, qui ait: Pax dei quæ exuperat omnem sensum: ut subaudias angeloꝝ. Sola enim sibi integre nota est trinitas, & humanitati susceptę, quę tertia est in trinitate persona. Iam deinde in sequentibus ṽbis dei, futurum Christi ecclesiæ mysterium significatum est. Gestauit quippe Moyses typum populi Iudæorum in Christum postea crediturí: ideo illi dictum est: Cum transiero, posteriora mea uidebis.) Quidã hũc sensum in euãgelio dicũt fuisse cõpletũ cũ ascẽdisset Iesus in montẽ, qñ apparuit Moyses colloquens cũ Iesu: & ideo ibi completam aiunt istã promissionẽ quã accepit in mõte Sinai, cũ dictũ est, posteriora mea uidebis. Vidit ergo posteriora eius .i. uidit quæ in posterioribus & nouissimis facta sunt. Qđ aũt ait dñs ad Moysen: Est locus apud me, stabis super petrã, & paulo pôst tollã manũ meã, & uidebis posteriora mea,) quia eñ ex sola catholica ecclesia Chrs cõspicitur, apud se esse locũ dñs ꝓhibet, de quo uideatur. In petra Moyses ponitur, ut dei speciem contẽpletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam nõ agnoscit: de qua soliditate dominus dicit: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.

De glorificatione Moysi. Ca. XLIII.

Quod

QVod uero descendente denuo Moyse cũ tabulis, facies eius glorificata uidet̃, sed tamen uelamine tegit̃, hoc significabat, ut ostenderet eandẽ legem mystico esse uelamine coopertam: tectamq́ꝫ infidelibus & occultam. Sermo q̃ppe legis habet scientiæ gloriam, sed secretã. Habet & cornua duũ testamentoꝝ, quibus cõtra dogmata falsitatis incedit armata. Cũ enim Moyses legit̃, uelamen est positũ super cor eoꝝ: & manifeste dñi legis & prophetarum scripturam per nimiam stoliditatẽ cordis, carnaliter accipiunt infideles, illis tota facies Moysi quodam uelamine tegit̃, ita ut non possint loquentis legis gloriam sustinere. Sed si cõuersi fuerint ad dominum, auferet̃ uelamen: occidens litera morietur, uiuificãs spiritus suscitabitur. Dominus enim spiritus est, & lex spiritualis est. Vñde & Dauid orabat ĩ psalmo: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

De ædificatione arcæ. Ca. XLIIII.

IAm nunc arcam testamenti dei inspiciamus, in qua erant repositæ tabulæ legis. Per hanc itaqꝫ arcã, quã de lignis ĩputribilibus Moyses fabricauit, ecclesia Christi significatur, ædificata ex omnibus sanctis mente & corpore incorruptis: habentibus etiam interius duas tabulas testamenti, id est, obseruantiam legis & euangelij. Intus autem ac foris inauratur arca. Sic & ecclesia quasi aurum radiare debet, tam interius uitæ splẽdore, q̃ exterius doctrinæ & sapiẽ claritate. Corona aũt aurea ꝑ circuitũ, & quatuor circuli aurei, qui per quatuor angulos iubentur adiungi, hoc significant, quia in eo q̃ ecclesia per quatuor mundi partes dilatata tendit̃, proculdu

proculdubio quatuor sanctis euāgelij libris accincta prædicatur: quam tamen intra unius coronæ ambitum, id est intra eiusdem fidei unitatem concludit. Vectes quoq; de lignis Sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inferuntur: quia fortes perseuerantesq; doctores, uelut imputribilia ligna quærendi sunt: qui instructioni sacrorum uolu minum semper inhærentes, sanctæ ecclesiæ unitatem denuntient: & quasi intromissi circulis, arcam portent. Qui auro quoq; iubētur operiri: ut cum sermone alijs insonant, ipsi etiam uitæ splendore fulgescant.

De urna aurea, tabulis & uirga. Ca. XLV.

IN hac testamenti arca fuit urna aurea: tabulæ quoq; & uirga Aaron. Arca hęc ut prędictū est, ecclesia est habens duas tabulas lapideas: id est duplicis testamenti perpetuā firmitatem. Vrnā quoq; auream, hoc est carnem intelligimus Christi puram atq; syncerā, quæ reconditum in se manna perpetuæ diuinitatis conseruat: & angelici illius panis perennem cœlestemq; gerit dulcedinem: necnon etiam uirgam Aaron, id est eiusdem summi ueriq; pontificis nostri IESV CHRISTI salutare uexillum, immortalis memoriæ semper uiriditate frondentem.

De propitiatorio & Cherubin. Cap. XLVI.

IAm porrò propitiatorium super arcam testamenti positum, id est ipse Christus insinuatur: qui inter deum & homines medius propitiator interuenit: de quo dicit Apostolus: Quem proposuit deus propitiationē per fidē in sanguine ipsius. Hoc propitiatorium arcæ superponitur, sicut &

Christus caput est ecclesiæ: cuius à dextris & sinistris duo Cherubin consistunt, quod est plenitudo scĩetiæ: id est dilectio dei & proximi, per quã dominus ostẽdit. Nemo eñ potest puenire ad dominũ, nisi per charitatẽ. Plenitudo enim legis dilectio. Alij eadẽ duo Cherubin, duo intelligunt testamẽta, quę propitiatoriũ dei, id est Christi sacramentũ obumbrant, testante propheta: In medio duûm animaliũ cognosceris. Hi uersis uultibus se respiciunt, dum in spirituali sensu uertũtur. Tunc enim alterutrum in melius sibi concordant, & in omnibus rectius consonant. Siquidẽ ex utroq; latere oraculũ uel propitiatorium tegunt: quia uetus & nouũ instrumentũ, tam Christi sacramẽta, q̃ ecclesiæ mysteria sub ænigmatum figuris operiunt.

De altari. Cap. XLVII.

Altare autem illud corpus Christi significabat: siue omnes sanctos, in quibus ardet semper diuinus ignis, & semper consumitur caro.

De mensa. Cap. XLVIII.

Posita uero mensa pacis & fidei, ecclesię gestabat typũ, in qua pascimur alimentis scripturarum: ad cuius unitatem ex toto orbe uocibus apostolicis dei populus congregatur, Salomone dicente: Sapiẽtia ædificauit sibi domũ: parauit suã mẽsam: miscuit uinum in cratere: & reliqua: dicens: Venite & edite de meis panibus.

De candelabro & oleo. Cap. XLIX.

Candelabrum autem illud septem ramorum, spiritus sancti gerebat imaginem: qui septiformi gratia illustrat ecclesiam omnem in

unitatẽ

o

unitate fidei cõſiſtentẽ. Alij idẽ candelabrũ Chriſtũ intelligunt geſtantẽ ſeptem eccleſias: in quibus ſeptiformis ſpiritus ſancti ſplendor emicat. Huic candelabro fiunt emunctoria, quæ in Eſaia forcipes nũcupantur. Et hæc quidã duo teſtamẽta interpretati ſunt, quibus peccata purgantur: quæ inter ſe ſancti ſpiritus unione ſociantur. Extra uelum autem teſtimonij quod oppanſum eſt, candelabrum ardere pręcipitur: quia ſine ullo ueteris teſtamenti uelamine, ſpiritus ſancti iam ueritas fulget. Oleum uero quod de arboribus oliuarum ſumendum dominus præcipit, eandẽ gratiã ſpiritus ſancti oſtendit: habentẽ in ſe pacẽ & miſericordiam per ſaluatoris aduentum: unde in cordibus noſtris lumen ueritatis accenditur.

De tabernaculo. Cap. L.

SEquitur nunc figura tabernaculi, quod iubẽte domino Moyſes fabricare iubetur. Tabernaculũ hoc per allegoriã, eccleſia eſt in huius uitæ eremo conſtituta: de quo pſalmiſta ait: Quoniã abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorũ. Varijs igitur ſpeciebus inſtruitur tabernaculũ, partim pretioſis, partim uilioribus: per quod demõſtratur alios ſanctos, alios eſſe peccatores in eccleſia: fideles aũt omnes: & intra corpus eccleſiæ conſtitutos.

De colũnis, eius baſibus, & capitellis. Ca. LI.

IPſum autẽ tabernaculũ cũ in typo eccleſiæ fieret, colũnas eius quatuor fundari argẽteas dñs iubet. Colũnæ iſtę, q̃tuor euãgeliſtę ſunt, ſanctę firmitate fidei ſolidati. Argẽteę aũt dicunt, propter diuini eloquij claritatẽ. Harũ colũnarũ baſes ꝓphetę ſunt: q ſuo geſtamine ſtructurã portãt eccleſię. Sup

fundamentum enim prophetarum, euangelistę ecclesiam collocant: eorumque auctoritate euangelicā fidem confirmant. Caput autē columnarum aureū, ille est de quo dicit Apostolus; quia caput uiri Christus est.

De tabulis deauratis. Cap. LII.

INterim & tabulas deauratas erigi præcepit, & fundi earum bases argēteas iubet. Quid enim per tabulas nisi doctores & apostoli, extensa in mundum prædicatione dilatati? Quid per bases argenteas, nisi ut prædictū est, prophetæ signantur: qui superimpositas tabulas ipsi firmi ac fusiles sustinēt: quia apostolorū & doctorū uita, dū eorū prædicatiōe instruit, eorum auctoritate solidat? Vnde & cōiūctæ binæ bases singulis tabulis supponūtur: quia dum prophetæ sancti, in uerbis suis de mediatoris incarnatione concordāt, subsequētes prædicatores ecclesiæ indubitanter ædificant. Et cū in semetipsis non discrepant, illos in se robustius figūt. Quòd autem argenteas ait bases & tabulas deauratas, ostēdit præcepta apostolorū longe clariora esse quàm prophetarum.

De decem cortinis. Cap. LIII.

TEntoria autem quæ ansulis assuta, & circulus suspensa atque innexa funibus ad modum cortinarum, uiginti & octo in longum, atque in latum quatuor cubitis distendūtur, reliqua credentium plebs intelliguntur: quæ hæret & pendet in funibus fidei. Funus enim triplex non rumpitur, quæ est trinitatis fides: ex qua dependet & per quā sustinetur omīs ecclesia. Quod autē uiginti & octo cubitorum in longū, & in latū quatuor cortinæ unius mensuræ distenduntur, lex euangelij designatur.

Septe-

Septenarius nanq; numerus legē significare solet, pro multis septiformis numeri sacramentis, qui cō sociatur ad quatuor euangelia. Quater septeni, uiginti & octo numerum faciunt. Decem autem cortinæ fiunt, ut integrum perfectionis numerum teneant, & legis decalogū signent. Quæ tamen quinquagenis aureis circulis sibimet connectuntur: qa omnes fideles per donū sancti spiritus, fidei & charitatis uinculo sociant. Quinquagenarius enim numerus, ad spiritū pertinet sanctū: Vnde & quinquagesima die post pascha, descēdit de cœlo paraclet⁹.

De XI. uelis Cilicinis. Cap. LIIII.

Consequentur uero undecim uela Cilicina fieri præcipiuntur. In Cilicio quippe peccatum ostēditur propter hœdos ad sinistrā positos. Quoniam ergo superius in decē cortinis, sancti perfectionē legis tenētes imaginati sunt, rursus undenario Ciliciorum numero, quoniā transgreditur denarium, transgressores legis, hoc est peccatores in ecclesia intelliguntur: Sed tamen & ipsa saga Cilicina quinquagenis ansulis copulant, propter pœnitētiæ signū, & spē remissiōis per indulgentiā peccatorum: Vnde & quinquagesimus psalmus ueniæ & remissionis est. Possunt eadē tentoria Cilicina quibus tabernaculū tegeretur, ut pluuias & uentos & turbines tolerarent, grossas hominū mentes accipi: qui aliquādo in ecclesia occulto dei iudicio quāuis duri sint, præferuntur: Vnde & bene sequenter pelles arietū ibi subiecit: ut per arietes, duces prępositosq; ecclesiarum ostenderet: quiq; deseruire curis tēporalibus nō timēt, oportet ut tentationū uētos & pluuias, de huius mundi contrarietatibus portēt: ut hi

qui inter ecclesiam spiritualiter quasi byssus & hyacinthus & purpura fulgent, securi interius resplendeant: dum præpositi & rectores eorũ, contra procellas & turbines seculi, foris laborant.

De oppanso uelo in medio tabernaculi. LV.

Quòd uero in medio tabernaculi uelũ extẽditur, & exterior pars ab interiore separatur, illud significat, quod nunc populis ecclesiæ ea quæ promissa sunt uelut oppansa, quo usque adueniant, uidere nõ liceat: Sic enim & Apostolus ait: Nũc uidemus per speculum in ænigmate: tunc aũt facie ad faciẽ. Quandiu igitur in hoc mũdo sumus, tanq̃ per speculum ueritatẽ uidemus: positi quasi in sancta: nondũ peruenientes ad sancta sanctorum. Sancta enim possunt esse ea, quæ in præsenti seculo habere sancta conuersatio potest. Sancta uero sanctorum in qua semel tantũmodo intrat, ad cœlũ esse tãsitũ: ubi est propitiatoriũ & Cherubin: ubi & mundis corde apparere poterit deus. In qua tñ conuersatione cõstituti, non sine adiutorio spiritus sancti cõsistimus. Habemus ergo ex spiritus sancti fonte septẽ lucernas, quæ illuminẽt populũ ecclesiæ. i. septẽplicẽ dñi gratiã missam in uniuerso orbe terrarũ: quæ populos ecclesię, fulgore spiritussancti diuersa charismatũ claritate illustrat. Potest quippe hoc oppãsum uelũ, q̃d partẽ tabernaculi interioris occultabat ne prospicerent illuc reposita, tẽpus illud significare q̃d fuit sub lege: quia quæ lex & prophetæ cecinerunt occulta erãt, & interiecto uelamine uideri nõ poterãt. Sed posteaq̃ Christus adueniẽs, tẽpore passionis uelũ illud à summo usque deorsum dirũpit,

omnia

omnia illa quæ antea erãt occulta, per domini passionem ad nostrã fidẽ sunt reuelata, dicẽte Apostolo: Nobis autẽ reuelauit deus per spiritũ suũ:qui spiritus omnia scrutatur,& ea quæ sunt alta dei.

De diuersis donarijs ad constructionem tabernaculi. Cap. LVI.

OFferuntur autẽ uno studio, & tamen diuersa donaria ad cõstructionẽ tabernaculi, iuxta quod scriptũ est: Aurũ,argentũ,æs,lapides pretiosos:tunc præterea byssum,coccũ,hyacinthũ & purpurã:pelles etiã arietum rubricatas, & pelles hyacinthinas:sed & ligna imputribilia:pilos quoq; caprarũ ad constructionẽ tabernaculi : sed & quicquid in cultũ & ad uestes sanctas necessarium erat, uiri cum mulieribus præbuerunt. Armillas & inaures,anulos & dextralia:omne uas aureũ in donaria domini separatũ. Si quis habuit hyacinthũ,purpuram,coccũ bis tinctũ,byssum & pilos caprarũ.) Figura itaq; prioris tabernaculi, ecclesiæ typus est. Per hæc itaq; munera,significant meritorũ dona, quibus ornat ecclesia.Fides eius, auro cõparat. Sermo prædicationis,argento:æs,patiẽtiæ. Quod uero quæ in ornamento siue tabernaculo necessaria sunt, uiri cũ mulieribus præbẽt, hoc significat, quia intra ecclesiã uirtutes fortiũ quæ per uiros exprimunt,exigua opera infirmorum quæ per mulieres intimantur,omnia locum inueniunt: ad usus sanctæ ædificationis accipiuntur.Collatio uero ipsa non fit necessitate sed sponte : quia fides spontanea est. Nam per armillas quæ lacertos adstringunt, præpositorum ualide laborantium opera demonstrantur. Per inaures, subditorum obedientia exprimitur:

per anulos,signaculum secretorum. Vnde & quędã minus intelligentibus occultantes, quasi sub signa culo recondunt doctores: ne indignis quibusq; dei sacramenta credantur: unde & iustus lætatur & dicit: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Porrò per dextralia, opera dextra commemorantur. Vas aureum in donaria domini separatum, diuinitatis intelligentia accipitur: quæ tantũ ab inferiorum amore diffũgitur, quantum ad sola quæ æterna sunt, amãda subleuatur. Porrò per hya cinthum, spes cœlestium: per purpurã, cruor ac tolerãtia passionum amore regni perpetui exhibita: Per bis tinctum coccum, charitas demonstratur: quæ per profectionem sui bis tingitur: quia dei & proximi dilectiõe decoratur. Per byssum, immaculatæ carnis incorruptio, & splẽdidissimus sanctimonij candor ostenditur: Byssus enim, linum est candidum. Per pilos autẽ caprarũ ex quibus Ciliciorum asperitas texitur, dura pœnitentię afflictio designatur. Dum igitur alij per armillas & anulos forte magisterium exercẽt: alij per inaures & dextralia deuotam audiendi obedientiam rectamq; operationem exhibent: alij per uas aureũ præclaram subtilioremq; dei intelligentiam tenent: alij per hyacinthum, purpurã & coccũ, audita cœlestia sperare, credere, amare non desinunt, quæ etiã adhuc subtiliori intellectu minime cognoscũt: alij per byssum incorruptionẽ carnis offerũt: alij p caprarũ pilos deplorãt aspere, q̃d libenter admiserunt: ecce ex tanta diuersitate operum, unũ conficitur tabernaculũ: sicut ex diuerso puluere, una cõpingit terræ gleba infusione sancti spiritus irrigata. Iam porrò ligna

Sethim

Sethim imputribilia, omnes sancti intelligunt mẽte & corpore incorrupti, nec cũ seculo pereuntes, semper manẽtes æterni. Lapides quoq; pretiosi, cõfessores, apostoli, sacerdotes, oẽsq; iusti, quos etiã lapides uiuos beat⁹ Petrus apostolus dicit: Vt sitis inquit, lapides uiui: coædificati in templũ dei. Hæc igitur omnia offeruntur in tabernaculũ dei, ut nullus desperet salutem. Offert super hęc & alius auꝝ, sensum: alius argentũ, eloquiũ: alius uocẽ æris. Sicq; fiunt multa in tabernaculo dei, mensa scilicet & cãdelabrũ, altare, colũnæ, bases, tabulæ, cathedræ, & fulcra, thuribula, phialæ, mortariola, emunctoria, paxilli, tentoria, quibus diuersitatibus tota illa tabernaculi.i.ecclesiæ pulchritudo distinguitur. Nã tabernaculũ ecclesia est, in qua mensa, id est unitas fidei, uł certe scriptura sacra, qua uniuersi fideles spirituali cibo pascuntur. Cãdelabrum quoq; cum septem lucernis, Christus cum septem ecclesijs. Emũctorium quoq; eius, hoc est, geminũ testamentũ. Et colũnæ, doctores sancti firmitate fidei solidati. Nec non & bases.i. prophetæ suo fundamine structurã gestantes ecclesiæ. Ibi etiã & tabulæ: apostoli prædicationis latitudine dilatati. Ibi tentoria, præpositi uidelicet & prædicatores, qui exterius laborant cõtra huius seculi turbines. Sũt ibi & cathedræ.i. distributiones hoĩm. Sunt & paxilli, hoc est principes ecclesiæ, quibus appendent oĩa gñia populoꝝ. Scyphi quoq;, doctrinę eloquia siue sensus. Necnon & thuribula: uirtutes scilicet opm bonoꝝ, uel orõnes sanctoꝝ, quibus odor suauitatis ascendit ad dñm. Phialæ quoq;, apłi & doctores, pleni uitalibus aqs. Ibi lilia, uirginitatis candor. Siue mortariola, labo-

rum, passionumq́ tolerantiæ: quibus mortificantur membra pœnitentium. Et hæ quidē species dispensationesq́ donorum sunt diuisæ per spiritūsanctum fidelibus, ut in singulis distributionibus pfectum Christi tabernaculū construat, in quibus habitat deus in medio eorum.

De unguento quo perungitur tabernaculum. Ca. LVII.

PORro unguentū quo perungitur tabernaculū chrisma est, quo ungitur fidelis populus, in q bus diuitas tāquā in tabernaculo inhabitat. Potest quidem intelligi per hoc unguentum etiam uirtus sanctorum, siue odor iustitiæ longe lateq́ diffusus, de quo dicit Apostolus: Deo autē gratias qui triumphat per nos in Christo Iesu, & odorem iustitiæ suæ manifestauit per nos.

De incenso composito. Ca. LVIII.

INcēsum aūt est, quod ex quatuor odoratissimis gñibus in maximā subtilitatē comminutis, quę sunt, stacte, onyx, galbanū, & thus, componit. Hæc in forma orationū fideliū constituta esse, beati Iohannis Apocalypsis ostendit. Et illi quidem uiginti quatuor seniores prociderunt ante agnum, habētes unusquisq́ citharas & phialas aureas, plenas incenso, quæ sunt orationes sanctorum. Quanquam & speciem quatuor elementorum, horum quatuor odorum naturæ significare uideantur, ut thus quod plucidum est, aëri comparetur: stacte uero aquis: galbanus & onyx terræ atq́ igni: ut per hæc omnium quæ in cœlo & infra cœlū, & i terra, & in aquis sunt, placitū deo incēsum, sit huius creaturæ laudis oratio. Sanguis aūt ille quo Moyses populū aspgit

ac

ac purificat, & tabernaculũ testamenti, & oĩa quæ in eo erãt dicẽs: Sanguis hic, sanguis testamenti.) mirifice dñi Iesu Christi sanguinẽ p̄dicare mõstrat, quo oĩm credentiũ corda purgant, quo fides eccl'iæ signat, quo ois ppl's.i. corpus oẽ tabernaculi sanctificatur, dicẽte dño discipulis: Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro multis effundet, ad implendũ in ueritate id, q̃d per Moysen fuerat ostensum in imagine.

De ueste pontificis. Ca. LIX

IAm nũc indumẽta pontificis quæ sint, qd'q; potius significent, demõstrandũ est. Aaron aũt sacerdotẽ illũ significat, ad quẽ dicit: Tu es sacerdos in æternũ scd̃m ordinẽ Melchisedec. Vestis eiusdẽ sacerdotis ecclesia est, de qua dicit Apl's: Vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiã, nõ habẽtẽ maculã aut rugã. Quatuor colores ex qbus uestis eius cõtexit, meritoꝝ ẽ diuersitas, q̃ intra sc̃tãm ecclesiã in Christi corpore rutilat. Poderẽ aũt illã sacerdotalẽ lineam, incarnationẽ Chrĩ accipimus, q̃ de terra est, & significat in pedibus: linũ eñ de terra orit. Cidarim super caput eius, & auream laminã, splendorẽ diuinitatis intelligimus, ut unus atq; idẽ scd̃m hominẽ podere, scd̃m deũ cidari ornatus esse uideat. Fœminalia ṽo illa quæ induunt, castitatẽ corporis Christi, & integritatẽ ostendũt. Cingulũ uero illud quo sacerdotale pectus astringit, chorus sanctoꝝ: q cõcordiæ figura, unitate fidei Chrũm amplectit. Tunica aũt illa talaris à capite usq; ad plãtas demissa, eadẽ ecclesia Christi ẽ, usq; ad finẽ tpm p̄mansura. Hæc uestis fit tota hyacinthina. Hyacinthus eñ aëreo colore resplendet, scilicet ut omnis ecclesia quę

sur

ſurſum ſunt ſapiat, & tota ad amorem cœleſtium ſurgat. Mala aũt punica in inferioribus poſita, eiuſdẽ eccleſiæ unitatẽ declarãt. Nã ſicut in malo punico, uno exterius cortice multa interius grana muniunt, ſic innumeros ſanctæ eccleſiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diuerſitas meritoꝝ tenet. Tintinabula uero inter mala granata conſonãtia, ꝓphetiæ intelliguntur & doctores ſancti in medio eccleſię collocati, qꝝ lingua doctrinæ ſciam reſonans, tãgit utraſq; partes. i. legis & euangelij. Hęc aũt tintinabula in extremo ueſtimento ſunt poſita idcirco, ut de fine mundi, & de uita futura diſputãtes, nunq̃ ſileant. Superhumerale aũt pallium, ſaluatoris inſinuat poteſtatem & regnum, ſicut ſcriptũ eſt: Principatus eius ſuper humeros eius. Duo quoq; lapides ſmaragdini in ſuphumerali à dextra & lęua poſiti, duo ſunt populi, gentilis dexter, & Iudæus qui fuit aliquando ſiniſter, habẽtes in ſe ſculpta nomina duodecim patriarcharũ, id eſt, ad imitamentũ uitæ exempla ſanctorum apoſtoloꝝ. Alij eoſdem duos lapides, duo teſtamenta dixerunt, ſiue literam & ſpiritum, in quibus tenentur legis uniuerſa myſteria: in dextera ſpũs, in læua litera. Rationale uero pectori ſuperpoſitum, quaterno lapidũ ordine diſtinctũ, ſermonem figurat euãgelicũ, qui quadruplicato ordine ueritatem nobis fidei & doctrinam trinitatis exponit: cui cõuenit in gemmis apoſtolicus ſermo tam uirtute q̃ numero. Hoc aũt rationale duplex eſt, quia euangelicæ doctrinæ ſcientia aperta eſt & abſcondita: ſimplex eſt & myſtica. Item idẽ ſacerdos, Chriſtus non incongrue interpretaẽ, in mẽbris ſuis & maxime in pontifice, q mo-

ratur

tatur in sanctis, & offert uictimas pro populo, carnem immaculati agni sacro ore conficiens. Primo em̃ qđ in Aaron pectore rõnale iudicij uittis ligãtibus imprimit̃, significat, ut sacerdotale cor nequaq̃ cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat. Qđ etiã rõnali uigilant̃ adiungit̃, ut duodecim patriarcharum nomina describãtur: ascriptos etenim sanctos patres semper in pectore ferre debet, quorum exempla imitari nõ cesset. Et quod in utroq; humero sacerdos uelamine superhumeralis astringitur, ut contra aduersa & prospera, uirtutũ semper ornamento muniatur. Et quod superhumerale ex auro, & hyacintho, & purpura, bis tincto cocco, & torta fieri bysso præcipitur, quanta sacerdos clarescere uirtutum diuersitate debeat, demõstratur. In sacerdotis quippe habitu aurum fulget, dum intellectu sapientiæ emicat. Cui hyacinthus, qui aëreo colore resplendet, adiungitur, scilicet ut omne quod tractat, ad amorem cœlestium surgat. Huic admiscetur regalis purpura, ut suggestiones uitiorum, ueluti ex potestate regia, comprimat. Coccus quoque bis tinctus huic superhumerali adiungit̃, ut ante interni iudicis oculos, omnia uirtutũ bona ex charitate decorentur: quia dum charitas in dilectione dei & proximi pendet, quasi ex dupli ci tinctura refulget. Cui bis tincto cocco torta byssus adiungitur: de terra enim byssus nitenti specie oritur: per quod candens decor, & munditia corporalis castitatis designatur: quæ uidelicet torta pulchritudini superhumeralis innectitur, quia tunc castimonia ad perfectum mundiciẹ cãdore ducitur, cum per abstinentiam caro affligitur. Siquidem &

baltheo pręcingitur,per quod renum incentiua,& luxuriæ libidinum restringantur. Tabernaculũ aũt sacerdos ingrediens, in tunica tintinabulis ambit, ut uidelicet uoces prædicationis habeat, ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendat. Mala quoq; punica tintinnabulis coniungunt, ut per ei⁹ doctrinam fi dei unitas designetur. Quòd autem in prima parte tabernaculi quotidie sacerdos ad immolandas hostias introibat, instantia nobis quotidiana præcipit, ut ab hoc loco ubi populus dei cœlestibus uocibus nutritur, nunquam abscedamus, sed quotidie confessionis & laudis spirituale sacrificium offeramus, id est, humilitatẽ animarum nostrarum, quæ sunt ueræ hostiæ, sicut scriptum est: Sacrificium deo spiritus contribulatus. Illud autem quod semel pontifex in anno relicto populo ingrediebatur in sancta sanctorum, ubi erat propitiatorium, significat pontificem nostrum dominum Iesum Christum, qui in carne positus, per totum annum erat cum populo, annum illum de quo ipse dicit: Euangelizare pauperibus misit me, & uocare annum domini acceptum, & diem propitiationis. Iste ergo semel in isto anno propitiatiõis intrat in sancta sanctorum, id est in completa dispensatione penetrat cælos, intrans ad patrem, ut eum propitium humano generi faciat, & exoret pro omnibus in se credentibus.

Enarrationis Isidori in Exodum finis.

Capitulo



CAPITVLORVM LEVItici elenchus.

DE figuris hostiarum. I
De igne sacrificij. II
Quod mel in dei sacrificio non offertur. III
Quod sal in omnibus sacrificijs admiscetur. IIII
Quod in sacrificium oleum offertur. V
De quatuor generibus principalium. VI
De sacrificio eius qui sacramentum protulit, & obliuione transcendit. VII
De filijs Aaron extinctis. VIII
De discretione ciborum. IX
De immunditia partuum. X
De lepris. XI
De sacerdote magno & cultu eius. XII
De sacerdotibus qui non offerunt sacrificium. XIII
De oblatione Aaron & filiorum eius. XIIII
De ablutione pro sacerdotis delicto. XV
De pecoribus quæ nõ offeruntur in sacrificio. XVI
De cæteris ceremonijs. XVII

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI IN LEVITIcum Enarratio.

tum cũ hilaritate faciamus: nihil ut ait Apostolus, ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorẽ diligit deus.

DE quatuor generibus principalium oblationum. Cap. VI.

IN EXORDIO autem Leuitici quatuor genera principalium oblationum describũtur, quæ in odorem suauitatis domino offerri iubẽtur: id est primum uitulus de armentis sine macula: secũdum agnus de ouibus: tertium turtur & columba: quartum similago conspersa, azyma oleo uncta, clibano cocta. Reliqua autem sacrificia pro qualitatibus causarũ in persona populi offerebantẽ. Primum itaq; sacrificium uitulus ex armẽtis, Christum demonstrat ex patriarcharũ progenie descẽdentem. Hic aratro crucis suæ terrã carnis nostræ perdomuit: atq; spiritussancti semine, uirtutũ fruge ditauit. Iste uitulus sine macula est: quia sine peccato ad passionẽ ducitẽ: Offertur autem non in tabernaculum sed ad ostium eius: quia extra castra passus est Christus. Per filios aũt Aarõ sacerdotis offertẽ sanguis eius: quod de Anna & Caipha intelligitur, qui consilium facientes effuderũt sanguinẽ Christi. Secunda hostia de ouibus agnus oblatus, idem Christus propter innocentiam figuratur. Hic est agnus qui apud Esaiam in sacrificiũ adducitur: & ab Iohanne omnib⁹ demõstratẽ: Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. Bene ergo in sacrificio agnus offertur, ut innocentiæ & passionis CHRISTI figura demõstraretur. Bene & hœdus: quia per eius mortem auctor peccati diabolus agnoscitur: iugulatur. Tertium sacrificium dicitẽ turtur & columba: Turturem

turē, carnem Christi esse manifestum est, Salomone dicente: Speciosæ genæ tuæ sicut turturis. Colū bā spūs sancti figuram habere, Iohannes baptista declarat dicens: Super quem uideris spiritū descendentē sicut columbā, hic est filius meus: ac per hoc turturem & columbā, id est carnem Christi spiritui sancto sociatum per mysterium passionis, sacrificium deo in odorē suauitatis. Ista tria sacrificia offert homo: id est Christus Iesus. Quartū autem offert sacrificium de simila, ecclesiæ catholicę figuram pronuntians: quę ex incōuenietibus membris quasi simila ex multis credētium granis collecta est: & legis & Euangeliorum mola inter literā & spūm separata: per aquam etiam baptismatis adunata: chrismatis oleo perūcta: spiritusſancti igne solidata: ꝑ humilitatē spiritus deo hostia placens effecta. Hæc sunt quatuor oblatiōes, quadriformē Christi & ecclesiæ habitū demonstrantes.

DE SACRIFICIO eius q sacramentū protulit, & oblatiōe transcendit. Ca. VII.

DE eo aūt qui iuramentū protulit, ut uel male quid uel bene faceret, atq; hoc ipsum obliuione trāscendit, dicit: Offerat agnā de gregibus siue capram: orabitq; pro eo sacerdos & pro peccato eius. Sin autem non potuerit offerre pecus, offeret duos turtures aut duos pullos columbarum: unum pro peccato, & alterum in holocaustum. Iuramentum nanq; proferre, est uoto nos diuinæ seruitutis alligare: & cum bona opa promittimus, bñ nos facere spōdemus. Cū uero abstinentia cruciatuq; carnis nostrę uouimus, male ad præsens

nobis facere iuramus. Sed quia nullus in hac uita ꝑ fectus est, ut quamlibet deo deuotus sit, inter ipsa quantulumcunq; pia uota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus siue capra iubet. Quid em̃ per agnam nisi actiue uitę innocentiã: quid per caprã quæ in summis sępe extremisq; pendens rupibus pascitur, nisi contẽplatiua uita signatur? Qui ergo se conspicit promissa hęc & proposita nõ implesse in sacrificiũ dei, se studiosius debet uel innocentia boni operis uel in sublimi pastu cõtẽplationis accingere. Et bene agna de gregib⁹, capra uero offerri de gregibus nõ iubetur: qa actiua uita multorũ est, contẽplatiua paucorꝝ. Et cum hęc agimus quæ multos agere & egisse cõspicimus, quasi agnã de gregibus damus. Sed cũ offerentis uirtus ad agnã caprãq; non sufficit, in remedio pœnitentis adiungitur, ut duo columbarũ pulli uel turtures offerantur. Scimus quia columbarũ pulli uel turtures, pro cantu gemitũ habẽt. Quid ergo per duos colũbarũ pullos uel duos turtures, nisi duplex pnĩæ nostræ gemitus designatur: ut cũ ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus: quia & recta non fecimus, & praua operati sumus? Vnde & unus turtur pro peccato, alter uero in holocaustum offerri iubetur. Holocaustum nãq; totũ incensum dicitur. Vnum ergo turturem pro peccatis offerimus, cum pro culpa gemitũ damus. De altero uero holocaustũ facimus, cum pro eo quod bona neglex imus nosmetipsos funditus succendentes, igne doloris ardemus.

DE filĳs Aaron extinctis, Cap. VIII.

Filii autem Aaron, q imponentes altari ignem alienum igne diuino exusti sunt, illos significauerunt, qui dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt: quos increpat dominus & obiurgat in EVANGELIO dicens: Reijcitis mandatum dei, ut traditionem uestram statuatis. Videtur & ignem alienum incēdere, quisquis corporeæ uel secularis alicuius cupiditatis ignem, in sacrario sui cordis accēdēs, audet altarijs dñi appropinquare, quæ non recipiunt nisi illius ignis accensionem de quo ait domin⁹: Ignem ueni mittere in terram. Hoc igne nos dominus Iesus semper incendit, ut illuminemur in sensibus: ne conflagremur in uitijs.

DE discretione ciborum. Cap. IX.

NVnc de discretione ciborum, ubi lex de mũdis & immundis quædã animalia ad esum quasi munda concessit: quędam uero interdixit, quasi non munda. Primum enim sciēdum est quicquid à deo institutũ est, mundum esse: & in ipsa institutiõis authoritate purgatum. Quid ergo est? In animalibus igitur mores pinguntur humani, & actus & uoluntates: ex quibus ipsi fiunt mundi uel immundi. Hæc itaq; mũda esse dicit. Om̃e inquit, quod habet diuisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.) Quod cũ diceret, non pecora sed mores hominũ discernebat. Deniq; hi homines mundi sunt qui ruminant, qui in ore semper portant quasi cibum, præcepta diuina. Hi & ungulam findunt, qui duo testamenta legis & Euangeliorũ credentes, se firmo gressu innocentię iustitięq;

corroborant. Item Iudæi ruminant quidem uerbũ legis, sed ungulã non findũt, quia nec duo testamẽta recipiunt, nec in patrem & filiũ fidei suæ gressus statuunt: propterea immundi habẽtur. Hæretici q̃que licet ungulam findant, in patrem & filium credentes, & duo testamẽta recipientes, sed q̃a doctrinã ueritatis in ore nõ ruminant, nihilominus & ipsi immũdi sunt. Nã q̃ adiecit scriptura dicẽs, Ex oĩbus quæ gignũt in aquis, & habẽt pennulas & squãmas, hæc comedetis. Quicquid aũt pẽnulas & squãmas nõ habet, abhominabile uobis erit.) Quòd ergo in piscibus squammis aspera pro mũdis habentur, hispidi & firmi, & graues mores hominũ approbantur. Quæ aũt sine his sunt, immunda dicuntur: in quib⁹ leues & lubrici, & infidi & effœminati mores reprobantur. Quid aũt sibi uult quod lex dixit.

Camelum non mãducabis.) nisi quoniã de exẽplo animalis, uitam damnat informem & criminibus tortuosam? Cũ autẽ in cibum suem prohibet, reprehendit utiq̃ cœnosam & luteam, & gaudentẽ uitiorum sordibus uitam. Et cum leporem accusat, deformatos utiq̃ in fœminas uiros damnat. Quis aũt mustelæ corpus, cibum faciet? sed furtũ reprehẽdit. Quis lacertam? Sed odit uitæ incertam uarietatem. Quis postremo stellione uesci possit, ut hæc lex magnopere prohiberet? Sed maculas mentium execratur. Quis accipitrem, aut miluum aut aquilam? Sed odit raptores uiolento scelere uiuentes. Quis uulturem? Sed execratur prædã de aliẽa morte quærentes. Sed & cum coruũ prohibet, uoluntates nigras. Passerem quoq̃ dum interdicit, intemperantiam coarguit. Quãdo noctuã, odit lucifugas ue

ritatis. Quando charadrion garrulum auiũ genus, altam nimis linguæ intemperantiam. Quando cygnum prohibet, ceruicis altæ ſuperbiam denotat. Quando ueſpertilionem, quærẽtes tenebris noctis ſimiles errores. Hæc ergo & his paria lex in animalibus execratur, quæ in illis quidem nõ ſunt criminoſa quia in hoc nata ſunt, ſed quia contra naturã non ex inſtitutione, ſed ex errore quæſita ſunt. Sed fuit tempus aliquod antiquũ, quo iſtæ umbrę & figuræ exercendę erant à populo uel gerendæ: ut abſtinendum eſſet à cibis quos inſtitutio quidẽ commendauerat, ſed lex interdixerat: uerum iam finis legis Chriſtus aduenit, aperiens cuncta legis & obſcura reſerans: atq; omnia ſacramẽta quæ nobis antiquitas texerat, magiſter inſignis & doctor cœleſtis, & inſtitutor reſeratæ ueritatis patefecit: ſub q̃ dicitur: Iam omnia munda mundis: inquinatis aũt & infidelibus nihil mundum: ſed pollutæ ſunt eorũ mens & conſcientia.

DE immunditia partuum.

Cap. X.

SEquitur quæſtio de immũditia partus, & contagio lepræ. Ait enim mulierem quæ cõcepit ſemen & peperit maſculũ, ſeptem diebus eſſe immundam: octaua purificari. Quę autem fœminam peperit, bis ſeptem diebus in immunditia ſcribitur permanere. In talibus ergo quędam myſteria latentis arcani non eſt dubium contineri. Septimana enim, huius pręſentis uitę tempus uideri poteſt: quia in ſeptimana dierũ cõſummatus eſt mũdus: in q̃ donec ſumus in carne poſiti, ad liquidum

puri

puri esse nõ possumus, nisi octaua uenerit dies,q̃d est futuri seculi tempus: in quo tamen die purgandus est ille,qui uiriliter agit. Statim enim mũda efficitur mater eius,quæ genuit eum.Purgatam nanque uitiis carnem, ex resurrectiõe suscipiet. Qui uero nihil in se habuit uirile aduersus pctũm, sed remissus & effœminatus pmanserit in actibus suis, iste nanque in præsentis seculi hebdomoda,neque in futura purgabitur ab immunditia sua.

DE lepris. Cap. XI.

LOcutus est autem dominus ad Moysen & Aaron dicens: Homo in cuius carne &cute ortus fuerit diuersus color siue pustula,aut quasi lucens quippiam,id est plaga lepræ,adducetur ad Aaron sacerdotem, uel ad unum quemlibet filiorũ eius.Qui cũ uiderit lepram in cute, & pilos in albũ mutatos colorem, plaga lepræ est: & ad arbitrium eius separabitur.)Lepra,doctrina est falsa. Proinde leprosi non absurde intelliguntur hæretici:qui unitatem ueræ fidei nõ habẽtes, uarias doctrinas profitentur erroris:ueraq; falsis admiscẽt: sicut & lepra ueris falsisq; locis humana corpora uariando commaculat. Huius scilicet lepræ inuenimus legislatorem sex spẽs in homine posuisse: primã capitis & barbæ:secundam caluitii & recaluatiõis: tertiã carnis & cutis:quartam cutis corporis & cicatricis albæ cum rubore:quintam ulceris & cicatricis:sextã ustionis. In capite lepram portat ,qui in diuinitate patris,uel in ipso capite q̃d Chr̃s est,peccat.Caput eñ uiri Chr̃s est. Hãc leprã habent Iudæi, Valẽtiniani,Marcionistæ, Photiniani, Manichæi, Arriani,Sa

belliani,Macedoniāi,Anthropomorphitę,Priſcillia ni,Donatiſtæ,Neſtoriāi,Eutichiāi,q́q; oēs i caluaria leprā gerūt, qa erroris ſui pfidiā,apta prauitate de fendūt.In barba leprā gerunt,q de apoſtolis & ſanctis Chriſti pverſe aliquid ſentiunt:atq; eos falſum q̄dlibet p̄dicaſſe confingūt. Sic em̄ barba ornamē tū ē uiri, ita Chriſti apoſtoli & doctores,ornamētū ſunt corporis Chriſti. In corpore leprā habent, qui eccleſiæ detrahunt, ſicut Carpocratiani:qui negāt carnis reſurrectiōem: ſicut Nouatiani qui nuptias damnant,& peccantibus pœnitentiā negant :ſicut Heraclitæ qui inter alios errores regnū cœlorum paruulos habere non credunt:ſicut Eritiani qui uetant pro defunctis offerre ſacrificiū.In carne & cute gerunt lepram, qui carnalia uel exteriora ſuadere conantur,ut Corinthiani: qui reſurrectionē futuram in carnis uoluptate exiſtimāt: uel ſicut Eriani, qui dicūt in fide manētibus, quamuis carnaliter uiuāt, non poſſe cōputari peccata. In cicatrice ſanati ulceris lepram portat,qui poſt cognitionē & medicinam dei,& manifeſtationem fidei quam à Chriſto ſuſcepit, rurſum in ipſa cicatrice aſcēdit in aliquod indicium erroris prioris: aut perfidiam dogmatis ueteris. In carne uiua geſtat lepram, qui de anima quæ uita eſt carnis,falſum aliquid exiſtimat, ſicut Luciferiani: qdicūt aīam de carnis ſubſtātia ppagatā: ſicut Arabici, qaīam ſimul cum corpore mo ri putāt.In cicatrice uſtionis leprā habēt Manichæi hæretici: q inanis abſtinētiæ cruciatu,corpora ſua exurūt:& p infidelitatē,nō munditiā inde ſed leprā gignūt.De talibus em̄ prędixit Apoſtolus: Diſcedent inquit, quidā à fide, attēdentes ſpiritibus erroris &

doctrinis dæmoniorum,in hypocrisi loquentium mẽdacium:& cauteriatam habentium suam conscientiam:prohibentiũ nubere:abstinere à cibis quos deus creauit ad percipiendum. Sed adhuc adiecit colores lepraru; id est pallidam,rubẽtem, albam,liuidam,nigram, florescentem. Itaq; dum pallidam lepram dicit, imbecillem & fragilẽ fidem animæ denotat illius, qui perdito colore integræ sanitatis,erroris infirmitate languescit.Cũ aũt rubicundam leprã oñdit,homicidij cruore mentẽ infectam denotat & innuit. Cum uero albam, illos hæreticos qui se mundos appellant: siue reliquos qui de falso merito gloriãtur:sicut Pelagius & Nouatus. Cum autem atram uel liuidam lepram commemorat,inuidiæ & liuoris notas execratur. Cũ uero nigram insinuat,sacrificiorum fumo & busto idololatriæ denigratã cõscientiã detestatur.Cũ aũt florescentem toto corpore, & cooperientem omnem pelliculã corporis à capite usq; ad pedes dicit, auaritię crimen ostendit:quia nũc floridum & iocundũ putatur,hominem felicem esse in hoc mundo:& diuitem uideri in seculo.Hæc enim pestis auaritiæ, omne genus hominum quasi totum corp⁹ crebro erroris istius contagio commaculat.Cũ autem lepram quæ habet ruborem cum pallore permixtum,eum hominem denotat,qui cum sit imbecillus animo & mẽdax,facile in furorem prorũpit: & leuitate morum cito periurat.Pallor enim mentientem linguam significat:rubor iracundiã manifestat. Est itaq; lepra peccati quæ sacrificiorum oblationibus emundatur, id est corde contrito & humiliato : Sacrificium enim deo spiritus contribulatus est : ut idololatria

quæ

quæ aqua diluitur baptiſmi. Eſt & hæreticorũ quæ ſeptem dierum purgatione extra caſtra habeatur. id eſt per ſeptiformis ſpiritus agnitionem purificetur. Eſt quę in uſu ſacerdotis aufertur per doctrinã. Genus autem lepræ quod mundari omnino nõ poteſt eorum eſt, qui in ſpiritu ſancto peccant: nec dicunt pœnitentes poſſe conſequi ueniam. De his ait ueritas: Qui peccauerit in ſpũm ſanctum, nõ dimittetur ei, neq; in hoc ſeculo neq; in futuro. Quòd uero iubetur leproſis, ut exeant de caſtris & ſedeant foris, donec mundetur lepra eorꝫ, intelligitur hæreticos proijci debere ab eccleſia, donec à proprio errore purgentur, & ſic reuertantur ad dominũ. Eiuſmodi uero diſſutis tunicis, capite deoperto & ore obuoluto ſedere iubetur, lepræ mundationẽ expectans. Diſſutis tunicis.) id ẽ oĩbus ſecretis manifeſtatis. Capite deoperto.) ut à cũctis eius denudatio uideatur. Ore clauſo.) ne ulterius impia doceat uel loquatur. Sed adhuc ꝙ adiecit ſcriptura leprã eſſe in uaſis, in parietibus dom⁹, hæreticorum congregatio denotatur: quę per ſacerdotẽ purgari debet. Lepra in uaſculis, uniuſcuiuſq; hominis proprij corporis delicta. Lepra in ſtamine uel in ueſtimento, peccata quæ extra corpora cõmittunť, uel in ipſo corpore ꝑpetranť. Stamẽ enim anima hominis intelligiť, & trama nobiliſſimi corporis ſenſus.

DE Sacerdote magno & cultu eius. Cap. XII

Dixit dñs ad Moyſen: Põtifex id eſt ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſup cuius caput fuſum ẽ, unctiõis oleũ, & cuius manus in ſacerdotio cõſecratę ſunt, ueſtit⁹ ẽ ſanctis ueſtibus,

caput ſuum non diſcooperiet: ueſtimenta non ſcin det: & ad omnem mortuũ nõ ingredietur oĩno: ſuper patre quoq; ſuo & matre non cõtaminabit: nec egredietur de ſanctis, ne polluat ſanctuariũ domini: quia oleũ ſanctæ unctionis dei ſui ſuper eum eſt. Ego dominus. Virginẽ ducet uxorem. Viduã & repudiatam, & ſordidam atq; meretricem nõ accipiet: ſed puellã de populo ſuo, ne contaminet ſemen ſuum.) Sacerdos magnus inter fratres ſuos, hic eſt de quo ſcribitur cum reſurrexiſſet à mortuis, Vade ad fratres meos inquit, & dic eis: Aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrũ: ad deum meũ & ad deum ueſtrum. Super cuius caput fuſum eſt unctionis oleum, iuxta q̃d prædixit propheta Dauid dicens. Dilexiſti iuſtitiã & odiſti iniquitatem: propterea unxit te deus deus tuus oleo letitiæ, præ participibus tuis. Cuius conſecratę manus ſunt.) iſte cõ ſecratas habet manus, dum eas in paſſione extendit pro expiatione totius ſeculi. Veſtimentũ eius non ſcinditur.) id eſt non patitur diuidi in hæreſes & ſchiſmata eccleſiam ſuam, quæ illi inhærendo, ueſtis eſt propria: cuius indumenti figura fuit tunica illa inconſutilis & per totum textilis: quæ in paſſione eius non ſcinditur, ſed indiuidua à poſſidente ſeruatur. Ad mortuũ non accedet.) quia peccatũ non fecit. Per peccatũ enim mors intelligitur, ſicut ſcriptũ eſt: Anima quæ peccauerit ipſa morietur.

In patre & matre non contaminabitur.) In patre Chriſtus nõ eſt pollutus, cũ ante ſecula naſceretur de patre. Similiter & in matre nõ eſt cõmaculaus, cum in ſeculo naſceretur ex matre. Solus enim ipſe in ſeculum mundus ingreſſus eſt, procedẽs ex utero uir

ro uirginali sine contagione uirili. Nam nos omnes dũ peccamus, contaminamur in patre de quo creati sum⁹, si in heresem deuoluamur: itẽ in matre contaminamur si credentes deo, ecclesiam in aliquo lędimus: uel libertatem matris cœlestis, indigna peccati seruitute fœdamus. De sanctis nõ discedet.) quia Christus per susceptionem carnis descendit in mundum, ut nunq̃ desereret cœlũ. Viduam & repudiatam, aut meretricem non ducet uxorẽ, sed uirginẽ.) Vidua & repudiata est synagoga: de qua dominus loquitur per Esaiam dicens: Quis est hic liber repudij matris uestræ, quo dimisi eam? Meretrix aũt hæresis est: quæ multorũ errori uel libidini patet. Tales non copulantur Christo: nisi sola ecclesia uirgo quæ non habet maculã aut rugam, de qua Apostolus ait: Despondi uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo. Dicitur quidem & anima sponsa esse, sed illa, quæ fidei simplicitate & actuũ puritate, incorrupta probatur & uirgo. Est & uidua anima: quæ discedens à iugo legis, Euangelij præcepta nõ seruat. Est & repudiata: quę peccãdo à Christi corpore separatur etiam si nõ proijciatur ab episcopo. Est & meretrix: quæ ad se recipit amatores, id est contrarias p̃tãtes & dæmones, qui desideriũ capiũt pulchritudinis eius: Pulchra nanq; à deo creata est anima & satis decora: quæ imaginem habet & similitudinem dei. Sequitur de hinc: De genere suo ducet uxorem.) animã scilicet quæ & fide coniungitur. Nec contaminabit semen suũ.) id ẽ uerbum dei q̃d in ecclesia prędicatẽ: sicut in Euangelio scriptũ est: Ne dederitis sanctũ canibus: neq; mittatis margaritas uestras ante porcos, ne inculcẽt eas

pedi

pedibus suis. DE Sacerdotibus qui non offerunt sacrificium. Cap. XIII.

HVcusq; quæ de summo sacerdote prædicata sunt, mystice ad Christum pertinuerũt. Dehinc ea ipsa interpretãtur in membris suis, & maxime in sacerdotibus: ad quos pertinent spiritualia sacramẽta: qui etiam quantis polleant priuilegijs, breuiter percurrẽdum est: Dicit eñ de eo:

Caput inqt, suũ nõ discooperiet.) id est ut sacramenta Christi qui caput eius est, uelamẽta mysteriorum honoret. Vestimenta sua non scindet.) ne in hæresim uel schismata trãseat. Super oẽm animã quæ mortua est nõ ingredietur.) ad omne peccatũ quod ad mortem pertinet nõ accedet. Super patre suo & matre non inquinabitur.) scilicet ne tãta indulgeat pietate parentũ amori, ut dominum suũ offendat & creatorẽ: neq; ita misereat̃ propinquis suis, ut erga deum uideat̃ culpabilis. Quanti enim episcopi in monasterio, dum curã gerunt parentũ, suas animas perdiderunt? De sanctis non egredietur.) ut semper in ope & cogitatione sancta moretur. Qui enim loquitur q̃d otiosum & reprehensione dignũ est, de sanctis egreditur, & polluit sanctificationem dei: quia non incedit ut seruus Christi.

Viduã & repudiatam & meretricẽ nõ inducat uxorẽ, sed uirginẽ.) id est nihil de ueteri homine & pristina uoluptate amplectat̃: sed uitã omni puritate florẽtem possideat. De genere suo ducet uxorem:) utiq; si uitam amplectat̃ sanctorum, quorũ per fidem proximus est. Inter hæc præcipit̃ ijsdẽ ut ministrãtes in templo, uinũ & sicerã non bibant: ne in ebrietate & crapula & curis huius uitæ, prægrauen

ti-

tur corda eorꝝ. Nec partem habeant in terra nisi so lum dominũ: ne dũ de terrenis cogitant, supna obliuiscantur. Ab huius ꝗꝗ conuiuio iubet̃ uicinus & mercenarius separari: & seruis tantũ ciborꝝ dari reliquias. Vicin⁹, hęreticus ẽ: q proximũ se titulo Christiãi nõis asserit. Mercenarius, Iudæũ oñdit: qui fructum obseruantiæ legis, carnaliter quærit. Cũ istis ergo sacerdos dei nõ participat Euãgelĳ pabulum quod est ad refectionem animarꝝ: sed tm̃modo cũ Christi seruis. Datur de his quæ superferunt̃ altari, sacerdoti pectus & brachiũ dextrũ. In pectore, legis mundas cogitatiões doctrinæq́; noticiã. In brachio dextro, opera bona, & pugnã contra diabolũ: & armatam manum: ut ꝗd corde cõceperit, operũ exẽplo perficiat. Datur ei & de priuato maxilla: ut eloquentiam habeat. Datur & de uictimis uenter: cui⁹ indicio discat luxuriam extinguere, & contemnere gulã. Inter hæc etiam iubetur ipsis sacerdotibus ut nulla debilitate insignes sint, ne cęc⁹: ne claudus: ne paruo aut grandi uel torto naso: ne fracto pede aut manu: ne gibberosus: ne lippus: ne albuginem habens in oculo: ne iugem scabiem, ne impetiginem in corpore: ne ponderosus. Quæ omnia referuntur ad animæ uitium: mores enim in homine non natura damnantur. Nam cæcus sacerdos est, qui scripturæ scientiã nõ intelligit: & quo gressum doctrinæ uel operis porrigat, per ignorantiam nescit: De qualibus scriptum est: Speculatores eius cæci omnes. Claudus est, q quidẽ intelligit ꝗd docere debet: sed tñ p̃cepta quæ docet nõ implet. Paruo naso est, q ad tenẽdã mensuram discretionis idoneus nõ est. Grandi & torto naso est, furibundus & minax

cum superbiæ arrogantia, uel immoderata discretione. Fracto aũt pede uel manu, qui uiã dei quam docet, pgere nõ studet. Gibberosus q̃q; sacerdos ẽ, quem terrenæ cupiditatis pondus deprimit: & tardius ad supna intendit. Lippus uero est, cuius ingeniũ ad cognitionẽ ueritatis emicat: sed hoc carnaliter uiuẽdo obscurat. Albuginem quoq; habet in oculo, qui arrogantia sapiẽtiæ seu iustitiæ cæcatur: Iugem uero habet scabiem, cui carnis petulãtia sine cessatione dominat̃. Impetiginem quoq; habet in corpore, qui auaritia uastat̃ in mente: quæ si in paruo non compescitur, nimiꝝ sine mẽsura dilatatur. Ponderosus uero est, qui & si turpitudinem nõ exercet opere, sed ab hac cogitatione continua, sine moderamine grauat̃ in mente. Talis nec sancta ingredi, nec nomen antistitis poterit possidere: qa & terrenis grauatur desiderijs, & expers est scientiæ ueritatis.

DE ablutione Aaron, & filiorum eius. Cap. XIIII.

PRæterea quid sit illud, q̃ iuxta præceptũ dei Moyses lauisse Aaron & filios eius legitur. Iam tunc purgationem mundi & reꝝ omniũ sanctitatem, baptismi sacramenta signabant. Non accipiunt uestes nisi lotis prius sordibus: nec ornantur ad sacra, nisi in Christo noui homines renascãtur. Quòd autẽ Moyses lauat, legis indiciũ est. Præceptis enim dei lauandi sumus: & cum parati ad indumentũ Chr̃i tunicas pellicias deposuerimus, tũc induemur ueste linea nihil in se mortis habẽte, sed tota cãdida, ut de baptismo consurgẽtes, cingamus

lumbos

lumbos in ueritate, & tota pristinorum peccatorũ turpitudo celet. Vnde & dicit: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

De oblatione pro sacerdotis delicto.

Caput XV.

Quid aũt sibi uelit lex imaginaria, quę iubet uitulum pro peccato sacerdotis immolari, & sanguine eius septies digito populum aspergendũ: deinde duos hircos offerri deberi: unũ in quo sors domini uenisset, occidẽdum esse, & sanguine eius, similiter ut de sanguine uituli, digito sacerdotis populum aspergendum: alterum uero in quo omnia peccata & maledictiones totius populi imponendæ essent, in locum desertum perducẽdum, ibiq; dimittendum. Sed prius necesse est uituli sacrificium pandere, & tunc etiam hircorum causas mysteriaq; eorum narrare. Vitulus itaq; hic, qui pro peccato sacerdotis, & totius populi emundatione occidi iubetur, figurã domini & saluatoris nostri in semetipso monstrabat, qui non solũ pro peccatis sacerdotalis populi, uerũ & pro omni humano genere, cunctisq; nationibus deo patre permittente, est immolatus, sicut Apostolus ait: Qui filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Merito & in loco, de huius uituli sanguine septies populus digito sacerdotis aspergi iubetur, ut redemptio nostra & purificatio in Christi sanguine collata, per gratiam septemplicis spiritus demõstretur. Duo autem hirci, duorum populorũ figurã perspicua ratione demonstrauerunt, propter originalis peccati præuaricationem hircorum formam gerentes: quorum est similitudo in euãgelio. Hœ-

m di

di enim, id est, peccatores, ad sinistram futuri sunt. Sed ex his qui in Christo credidissent, & pœnitentiam delictorum suorum toto corde egissent, baptismi gratiam consecuti, hi in similitudinē unius hirci, qui in sorte domini uenit, figuram accipiunt: cuius sanguis cum sanguine uituli permisceri iubet, ut cōsortes passionis Christi effecti, participes gloriæ ipsius efficiantur. Sed quid est, hircum in sorte domini uenire, nisi ut populus credentium, cuius ille figuram habebat, consors & cohæres domini haberet in regno: sicut Apl's ait, Hęredes dei sumus, cohæredes aūt Christi? Alius uero hircus q in sorte domini nō uenit, similitudinem tenet infidelium, qui nunquam in Christo credere uoluerunt. Hi utiq; accipiunt maledictionem totius populi, & omes iniquitates humani generis, & proijciuntur in desertum locum. Sed quid est omnes iniquitates & maledictiones accipere, nisi quia omnia peccata quæ ab Adam usq; ad Christū humanum genus admisit, illi soli sunt percepturi, qui neq; credere Christo neq; expiari Christi sanguine uoluerunt: & sic onusti & prægrauati iniquitatibus & maledictionibus totius humani generis, in desertum locum proijciētur, id est, in tenebras exteriores, ubi ē fletus & stridor dentium, & in stagnum ignis, quod ē gehēna, ubi ignis eorum non extinguetur, & uermis eorū non morietur?

De pecoribus quæ non offeruntur in sacrificio. Caput XVI.

Diuersitas uictimarū, & q̄ uel offerri debeāt, uel nō offerri, ī hoc libro Leuitico dinūerat, sed per cōparationē pecorū, cōuersatio homi-

minū demōſtrat. Hō q obtulerit uictimā pacifico rū dño uel uota ſoluēs uel ſpōte offerēs, tā de bob⁹, q̃ de ouib⁹, immaculatū offerat, ut acceptabile ſit. Omnis macula nō erit in eo: ſi cęcū fuerit, ſi fractū, ſi cicatricē habens, ſi papulā, aut ſcabiē uel impetiginē, non offeretis ea dño, neq; adolebitis ex eis ſuper altare dñi. Bouē & ouem aure aut cauda amputatis, uolūtarie offerri poſſibile eſt: uotū aūt ex his fieri non poteſt. Omne animal quod uel contritis, uel tonſis, uel reiectis ablatisq; teſticulis eſt, non offeretis deo, & in terra ueſtra hoc omnino non facietis. De manu alienigenæ non offeretis panes dño deo ueſtro, quicquid aliud dare uoluerint, quia corrupta & maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea.) Primo reĳcitur è ſacrificio maculoſum animal uel uarium, id eſt, in quibus eſt diuerſitas peccatorum, & nunc in libidine & cupiditate, nūc in diuerſis criminibus demutantur. Reĳcitur quidē cæcum animal, id eſt, qui necdum uidet, nec opera eius facit. Fractum quoq;, id eſt, uitĳs carnalibus uexatū atq; colliſum. Reĳcitur & cicatricem habēs, qui non digna ſatisfactione pœnitentiæ, uulnera peccatorū deplorat: ſed adhuc ueteris morbi ſignū, per deſideria uoluptatis interius geſtat. Reprobat & lingua amputatū, qui deum non confitetur, neq; diuinam legem meditatur. Reĳcitur & papulam habens, q pruritu libidinis & ardore cōcupiſcentiarū exęſtuat. Similiter & ſcabioſum, qui peccatum carnis pficit contagione operis. Iam uero impetiginem habens, hæreticoꝝ figurat collectionē, quæ frequenter ſe in eccleſiæ corpus immergit, & impetigine liuorē facit. Porro aure amputata ſunt, qui ỽbo dei

non obediunt, non faciendo quæ iussa sunt. Qui uero caudam habet amputatam, ille est, qui bonum quod incipit, pseueranti fine non pficit. Porro desectū, uel testiculis amputatū, indicat eos qui cū corpore uiri sunt, turpitudinis usu effœminant. His ergo & similibus inuoluti, à sacrificio dñi reprobant, nec efficiunt cõsortes passiõis Christi; nec cœlestis sanctificationis participes. Sed neq; panis alienigenę offeret dño. i. doctrina hęreticorū, uel studia supstitiosa secularium literarū, quę extra fidem sunt, & aliena putantur. Tales em̄ repudiantur hostię à domino, & reijcit huiusmodi sacrificium ab ecclesia catholica.

Enarrationis Isidori in Leuiticum finis.

CAPITVLORVM in Numeros elenchus.

Catalogus mansionum.	I
Pascha secundi mensis.	II
Nazaræi.	III
Leprosi, fluxi, immundi.	IIII
Aetas bellatorum.	V
Leuitæ & custodes uasorum.	VI
Duæ tubæ.	VII
Sepulchra concupiscentiæ.	VIII
Septuaginta uiri electi.	IX
Mariæ obtrectatio.	X
Exploratores.	XI
Homo ligna colligens.	XII
Dathan & Abiron.	XIII
Aaron cum thuribulo.	XIIII
Virga florens.	XV

Vitu-

Vitula rufa.	XVI
Mariæ mors.	XVII
Moysi titubatio ad petram	XVIII
Mors Aaron.	XIX
Serpentium uulneratio.	XX
Seon rex Amorrhæorum, & Og rex Basan.	XXI
Moysi mors.	XXII
Balaam diuinus.	XXIII
Phinees sacerdos.	XXIIII
Numerus populi.	XXV
Quinq; filiæ Salphat.	XXVI
Genera oblationum.	XXVII
Mors Balaam.	XXVIII
Filij Ruben & Gad.	XXIX
De idolo destruendo.	XXX

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in numeros, Prologus.

Hic liber unus ex qnq; libris Moysi, ideo Numeri appellatus est, eo quod egressæ multitudinis Israëlitici populi ex Aegypto in eodem, & perfectorum uirorum computatio, & numerus teneaт̃ insertus. In quo etiã perfectiões eorũ, & mãsiones à finibus Aegypti, usq; ad locum & tẽpus, in quo Moyses defunctus est, numerantur: in quo & dies dedicationis tabernaculi, & oblationum modus non sine mystici numeri sacramento, ratione dinumeratus est.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in Numeros Enarratio.

CATALOGVS AVTEM MANSIOnum filiorũ Israel, quæ à prima usq; ad ultimam numerãtur, simul quadraginta & duæ, de quibus Matthæus loquit: Ab Abraham usq; ad Dauid generationes quatuordecim: & à Dauid usq; ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis usq; ad Christũ, generationes quatuordecim: id est, gñationes simul quadraginta & duæ. Per has currit Hebræus qui de terra transire festinat ad cælũ, & Aegypto seculi derelicta, terram repromissionis ingredit. Nec mirum si illo numeri sacramento perueniamus ad regnũ cœlorũ, sub quo dñs atq; saluator, à primo patriarcha peruenit usq; ad uirginem, quasi ad Iordanem, qui pleno gurgite fluẽs, spũsancti gratia redundauit.

PRima mansio est Ramesse urbs, quæ in extremis finibus Aegypti erat, in qua populus cõgregatus, exijt in desertum altera die post pascha, in conspectu Aegyptiorũ. Ramesse interpretari quidam commotionem, uel tonitru gaudij putauerunt: utiq; quia cum moti fuerimus ad euãgelicam tubam, & excitati tonitru gaudij, eximus in mense primo, quando hyems præterit, quando ueris exordium est, quando cuncta renouantur. Eximus quintadecima die mensis primi in crastinum paschæ pleno mensis lumine, post esum agni immaculati, & calceati pedes de Apostolo, & accincti pudicitia lumbos, & baculos in manibus habẽtes præparatos.

Secunda

SEcunda mansio est Soccoth, in qua coquunt panes azymos, & primũ tendũt tabernacula, uñ & locus nomẽ accepit: Soccoth qppe interp̃tat̃ tabernacula siue tẽtoria. Cũ ergo exierim⁹ ex Aegypto .i. e seculo, primũ tabernacula figimus, scientes nobis ad ulteriora pergẽdum, & ad sanctam terram, id est, cœlestem Hierusalem iter accelerandum.

TErtia mansio est Etham, quæ est in extremo solitudinis, in qua primum uidetur dominus præcedẽs populum in columna ignis. Etham sonat fortitudinem siue perfectionẽ. Præparemus ergo nobis fortitudinem, assumentes perfectum robur, ut intra errorum tenebras & confusionem noctis, scientiæ Christi lumen appareat: dies quoq; noster nubem habeat protegentem, ut his ducibus ad terrã sanctæ repromissionis peruenire ualeamus.

PRofecti de Etham, reuersi sunt ad Phiairoth, quod est contra Belsephon: & castra metati sunt e regione Magdal. Assumpta igitur fortitudine, nobilitemur in domino: & Belsephon, id est idoli arcana contemnamus, illiusq; magnificentiã & turritam superbiam declinemus.

QVarta mansio est Phiairoth, quod est cõtra Belsephon. Phiairoth interpretatur os nobilium. Proinde assumpta fortitudine nobilitemur in domino, contemnentes Belsephon, quod interpretatur dominus aquilonis, eiusq; superbiam declinemus. Ab hac mansione profecti filij Israel, transierunt per medium mare in desertum, uiderũtq; Pharaonem cũ suo exercitu pereuntem, Maria præcinente in tympanis.

QVinta mãsio est Marath, ad quam filij Israël trãs-



acto mari, post triduum uenerunt. Marath autem interpretatur amaritudo. Post prædicationem em̄ euangelij, & tabernacula transmigrantium, post assumptam fortitudinem fidei, & post baptismum atque uictoriam, rursus uenitur ad amaritudinem: ut uoluptas atque luxuria, uitę amaritudine termi netur, & per crucis lignum quasi per cruciatū, iterum suauitas compensetur.

SExta mansio est Helim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, in figura du odecim apostolorum, & septuaginta discipulorū secundi ordinis: de quorum fontibus doctrinæ potū haurimus, & dulces fructus uictoriæ carpimus. Vnde & bene Helim uertitur in arietes fortes. Ipsi enim sunt robusti principes gregis, duces ouiū, doctores gentium.

SEptima mansio, est iterum ad mare rubrum. Quęritur hic quomodo post transitum rubri maris, & fontes Marath & Helim, rursus ad mare rubrum uenerunt: nisi forte in itinere pergentibus, sinus qui dam maris occurrit, iuxta quē castra metati sunt. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Ex quibus monemur, etiam post euangelicam disciplinam & cibos dulcissimos triumphorum, apparere nobis interdū mare, & præterita discrimina poni ante oculos.

OCtaua mansio est in solitudine Sin, quæ tenditur usque ad montem Sinai. Interpretatur autem Sin rubus uel odium, quia posteaquàm uenerimus in locum ecclesię, de qua nobis sit dominus locuturus, grande odium meremur inimici.

Nona

NOna mansio est in Dopheca, quæ dicitur pulsatio. Iuxta quod & dominus ait: Pulsate & aperietur uobis: sensusq; est manifestus: quia postquàm uenerimus in locum ecclesiæ, sacramenta pulsare incipimus.

DEcima mansio est in Halus, quod interpretatur fermētum: quod tollēs mulier commiscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. In hac solitudine murmurat populus propter famem: accepitq; uespere cothurnicem, & mane alterius diei māna. Et nota in decima mansione manna tribui: id est post decalogi perfectionem, angelorum panem manducare.

VNdecima mansio in Raphidim, quæ interpretatur dissolutio fortiū, uel remissio manuū. In hac, sitienti populo fons de petra Oreb in similitudinē Chr̄i, aquā erupit. Ibi Iesus in typo saluatoris cōtra Amalech militat: & in signū crucis dæmonū bella aduersum testamenta surgentia, deuincuntur. Ibi uenit Iethro ad Moysen dās consiliū septuaginta seniorum: & in typū ecclesiæ ex gentibus congregatæ, legis imminutio euangelio suggerēte completur. Pulchre aūt dissolutio ac sanitas fortiū Raphidim dicitur: uel propter dissipatū Amalech, uel propter sanatum Israël.

DVodecima māsio est in solitudine Sinai. Statim tibi ueniet in mēte apostolicus numerus. Sinai quippe interpretatur rubus: quo significatur ecclesia in qua nobis apostoli prædicant. In hac mansione Moyses ascēdit ad deū: ibiq; descēdit dominus in montē Sinai dans legē populo suo. Ibi fabricatur tabernaculū: ibi præcipitur uarietas hostiarū: uasorū

diuersitas: indumenta pontificis: sacerdotum ac Leuitarum cerimoniæ: ibi numerus populorũ Leuitarumq́, & per singulas tribus populi distributio: oblationes quoq; in hac mãsione descriptæ sunt. Duæ quoq; argenteæ tubæ ad promouenda castra, ibidem fieri iubentur.

Pascha secundi mensis. Cap. II.

VBiq; præcipitur immundis qui primo mẽse paschæ interesse non potuerunt, ut in mense secundo conueniant. Sed quid sibi uelit q̃ hi qui longius habitant, uel immundi in anima fuerant, in secundo mense pascha iussi sunt facere? Q. nimirũ in typo intelligitur populi gẽtium, qui cum omnibus dæmonibus fornicati, immundi uidebantur in anima: salubri uero confessione mundati, ad secundam natiuitatem, quasi ad secundũ mensem, transire præcipiuntur.

Nazaræi. Cap. III.

IVbetur quoq; Nazaræis in hac mansione, ut uinum & siceram, & omne quod de uuis est, non bibant nec comedant: nec de uua quidem passa, uel acetum quidem ex uino: sed ut in Prouerbijs præcipitur, Potentes qui iracundi sunt, uinum non bibant: ne cum biberint, obliuiscant̃ sapiẽtiæ. Quid ergo Nazaræorum nomine, nisi abstinentiũ continentiumq́ uita signatur? His in uino luxuria prohibet̃: in sicera omnis uoluptas terrena. Sicera enim ex diuerso conficitur genere: sicut uoluptas ex diuersa uitiorũ oritur passione. Illi enim uinũ non bibunt & sicerã bibunt, qui ad decipiẽdos homines, umbras quasdã & imagines simulãt habere uirtutum. Vua passa illi uescuntur, qui propter humanos oculos abstinen-

abſtinentiæ pallore inficiuntur, ut gloriam captēt ab hominibus. Acetū autē hi bibunt, qui poſt uitæ ſanctitatē, in uetuſtatē præteritorꝝ uitiorꝝ delabuntur: & corruptione ueteris nequitiæ delectant. Præcipit itaq; deus, ut eos qui ſanctitatis induent titulum, cunctis his careant uitijs: nullaq; huius criminis macula ſe inficiant.

Leproſi, fluxi, immundi. Cap. IIII.

IN hac manſione proijciuntur de caſtris leproſi, fluxi & immundi. Leproſi hæretici: fluxi cogitatione: & immundi opere: ut tanq̄ contaminati & morbidi, à caſtris eccleſiæ ſeparentur: ne cōtagione morū ſuorꝝ, uitam polluant innocentium.

Aetas bellatorum. Cap. V.

VBI ab anno uiceſimo annumerantur populi, qui ad prælium eligantur. Sed cur ab anno uiceſimo, niſi quia ab hac ætate contra unumquenq; uitia bellorꝝ naſcuntur. Ideoq; ad pugnam eliguntur, ut habeant contra libidines conflictum: ne luxurijs ſuperentur.

Leuitæ, & cuſtodes uaſorum. Cap. VI.

VBI etiā ab anno uiceſimo & q̄nto, Leuitæ tabernaculo ſeruire mandantur: & quinquagenario, cuſtodes uaſorū fiunt. Quid enim per annum quintum ac uiceſimū, in quo flos iuuentutis aboritur, niſi ipſa contra unumquodq; uitiorum bella ſignantur? Et quid per quinquagenarium, in quo & Iubilæi requieſcunt in æternum, niſi interna quies edomito bello mentis exprimitur. Quid uero per uaſa tabernaculi, niſi fidelium animæ figurantur? Leuitæ ergo anno uiceſimo & quinto, tabernaculo ſeruiunt, & quinquagenario

cuſtodes



custodes uasorũ fiunt: ut uidelicet qui adhuc impugnantiũ uitiorũ certamina per consensum delectationis tolerãt, aliorũ curã suscipere non præsumãt. Cum uero tẽtationũ bella subegerint, cum apud se iam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur. Sed quis hæc prælia sibi perfecte subigat, cum Paulus dicat: Video aliã legẽ in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ: & captiuum me ducentẽ in legẽ peccati? Sed aliud est bella fortiter pꝑpeti, aliud bellis eneruiter expugnari. In istis exercetur uirtus ne extolli debeant: in illis omnimodo extinguitur, ne subsistant. Præcipit dehinc ibi lex, Leuitas omẽs pilos carnis radere: quia hi qui in obsequijs diuinis assumuntur, debent ante dei oculos à cunctis carnis contagionibus mundi apparere: ne illicitas cogitationes mẽs proferat: & pulchram animæ speciem quasi pilis fruticãtibus, deformem reddat.

Duæ tubæ. Cap. VII.

POst hęc iubentur etiam fieri duæ tubæ: quarũ clangore populi mouerentur ad prælium. Sic enim scriptũ est de his ad Moysen: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.) Et paulo post: Cum concisus clangor increpuerit, mouebunt castra.) Per duas enim tubas exercitus ducitur, quia per duo testamenta siue per duo præcepta charitatis, ad procinctũ fidei populus euocatur. Quæ iccirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum uerba eloquij nitore refulgeant: & auditoris mentẽ nulla sui obscuritate confundant, Iccirco autẽ ductiles, quia necesse est, ut hi qui uenturam uitã prędicant, tribulationũ præsentiũ tunsionibus crescãt.

BCIE

Bene autem dicitur: Cum cōcisus clangor increpuerit, mouebuntur castra: quia nimirū cum subtilior ac minutior prædicationis sermo tractatur, auditorum mentes contra certamina ardentius excitant. Iam abhinc promouētur filij Israël de monte Sina, & transeunt in sepulchra concupiscentiæ.

Sepulchra concupiscentiæ. Cap. VIII.

TErtiadecima mansio est in sepulchris concupiscentiæ; ubi populus fastidiens cœlestē panem, carnes Aegyptias desiderat: multosq; subitū uorauit incendiū. E quibus edocemur, ut qui cōuersationē relinquimus seculi, Aegyptias ollas, id est carnaliū desideriorū feruorē contempsimus, nō debere murmurare contra cœlestē panē: nec iurulentias Aegyptiorū qui sunt magnarū carniū, sed simplicem mannæ cibū, id est purā cœlestē uitā quærere. Alioqui si post perceptū angelicū manna, quæ est cœlestis uita siue doctrina, rursus carnes Aegyptias, quæ sunt carnales huius seculi uoluptates, & concupiscentias pristinorū moꝝ uoluerimus appetere, uorabimus nauseā. & statim domini igne torquebimur: desideriūq; nostrū uertetur in tumulis, ut simus sepulchra dealbata, quæ foris parent hominibus speciosa: intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

Septuaginta uiri electi. Cap. IX.

IN hac mansione descendit spiritus super septuaginta uiros electos: & tunc dn̄s descendit in nubē, & retraxit de spiritu qui erat super Moysen, & imposuit super septuaginta uiros. Descēdēte em̄ in nube carnis Christo, diffusa ē p fidē spirit⁹ sancti gratia super populos ex septuaginta gentiū linguis

electos:

electos: uenitq́ super omnes donum illud uirtutis cœlestis, quod quondam fuerat in Moyse atque prophetis.

Mariae obtrectatio. Cap. X.

Quartadecima mansio est in solitudine Aseroth. In hac Aaron sacerdos locum incidens offensiõis, cũ sorore sua Maria, fratri uterq́ obtrectant, quod alienigenã accepisset uxorem. Vnde ilico Maria contagione lepræ effloruit. Quo loco euidens fuit figura mysterij: quòd sacerdotalis illa plebs patrum, Christo saluatori aduersus ecclesiam congregatam ex gentibus derogaret: ideoq́ lepræ sorde perfunditur: nec redit ad dei tabernaculum, donec statutum plenitudinis gentiũ tẽpus, adimplebitur. Tũc enim eadem plebs pristinam poterit recipere sanitatem, dum eis septiformis spiritualis agnitio fuerit ad ueniã suffragata.

Quintadecima mansio est in Rethma: quæ transfertur sonitus siue iuniperus. Fertur autẽ lignũ hoc ignem multo tempore cõseruare: ita ut si prunæ eius cinere fuerint adopertæ, usq́ ad annũ perueniant. Ex quo discimus post sepulchra concupiscentiæ siue atria, transire nos ad lignum tempore multo calens: ut simus feruentes spiritu & claro sonitu: atq́ in altũ exaltata uoce, euangelium domini prædicemus. Ab hac mansione usq́ ad tricesimam secundã hæ continentur historiæ: quæ quia nõ sunt per mansiones singulas distributæ, à nobis quoq́ in commune dicẽtur. Duodecim exploratores mittuntur ad terram sanctam: botrus refertur in ligno: & CHRISTI breuiter passio demonstratur: murmurat populus Iudæorum gigãtum impetum reformidãs:

reformidans : pugnat contra Amalech & Chanānæum nolente ideo : & uictus intelligit quæ debeat in terra sancta exercere sacrificia : Dathan & Abīron filij Chore consurgunt contra Moysen & Aarō, & terræ uoragine glutiuntur : inter mortuos & uiuentes, pontifex medius thuribulo armatus ingreditur: & currēs ira dei, sacerdotis uoce prohibetur: Virga Aaron & florem profert & folium: & in æternam memoriam uirens siccitas consecratur. Vitula rufa concrematur in holocausto: & cinis eius peculiaris aspersio est. Quorum quidem figuras breuiter annotantes, ex duodecim exploratoribus incipiemus.

Exploratores. Cap. XI.

EXploratores missi ad explorandum terrā uberem, qui terruerunt populū ne crederēt posse accipere terrā à domino repromissam, scribarum & pharisæorum prætulerunt indiciū. Sicut enim illi per Moysen missi sunt, ut soli fœcunditatē solicita consideratione tractarent, ita & isti per legem & prophetias iussi sunt, ut scripturarum peruestigatione dominicum specularentur aduentum: in quo erat terra id est caro sancta: in qua regnum deī & ubertatē fructuū spiritualiū, & uitā æternā consequi possent. Sed sicut illi desperatione terruerunt populū ne de dei promissiōe cōfideret, ita & isti scribæ & pharisæi suaserunt populo Iudæorum ne crederent Christum, ad Aegyptum seculi huius redire cupientes: repudiantes manna fidei: quærentes ollas peccatorum nigras, & cæpas blasphemiarum putidas: & pepones uitiorum ac libidinum corruptione marcentes. Ille autem botrus uuæ quem

in ligno de terra repromissionis duo aduexere uectores. Botrus pendens è ligno, utiq; CHRISTVS è ligno crucis, promissus gentibus, de terra genitricis MARIAE secundũ carnẽ terrenæ stirpis uisceribus effusus. Duo baiuli qui sub onere botri illius incedebant, populus est uterq;. Cuius prior Iudaicus, cæcus & auersus, ignarus pendentis gratiæ, & pressus onere suspensi: cui subiicitur iudicãdi: De quibus dicitur: Obscurentur oculi eorũ ne uideant: & dorsum eorum semper incurua. Qui uero posterior ueniebat, populi gentiũ gerebat figuram: qui credens & Christũ ante oculos habẽs, semper eũ portãs uidet: & quasi seruus dominũ, & discipulus magistrũ, sequitur: sicut ipse dominus in euangelio ait: Si quis uult post me uenire, tollat crucẽ suã & sequatᷓ me. Hic aũt est botrus, qui effusum in salutẽ nostrã uinũ sanguinis sui, crucis contritiõe perfudit: atq; expressum, potus suæ calicẽ ecclesię propinauit. Hic est botrus, quẽ in malogranato socia muneris gratia, secuta est: nostra scilicet mater ecclesia: habens in se granorũ numerum, id est multitudinẽ populorum: rubore, sanguinis Christi signaculo coruscantẽ: habẽs etiã intus distincta grana, sicut Apostolus ait, diuisa charismata, & dona spiritussancti gratia distributa: quibus omnibus indignos se increduli iudicantes, terram carnis Christi fluentem lacte & melle accipere non meruerũt: quã per fidẽ serui eius, id est Christiani populi, consecuti sunt: de cuius doctrina cotidie dicit ecclesia: Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauũ ori meo. Ficũ aũt quẽ cũ botro de terra repromissionis attulerunt, imaginẽ legis attulisse euangelicis edocemur exẽplis: sicut & botrum

constat

constat figuram saluatoris ostendere:quemadmodum in Cantico Canticorum ecclesia de Christo dicit; Frater meus ut botrus cypri: quia nec Christus sine lege,nec lex sine Christo esse poterit.

Homo ligna colligens. Cap. XII.

Post hæc quidam homo die sabbati ligna colligens, necatur à populo. Quid autē insinuat q tam atrociter iussu dei fuerit idem ab omni populo trucidatus?Quod facile ab infidelibus proponitur.Intelligāt ergo quia hęc omnia in typo acciderūt illis:scripta sunt autē ad correptionē nostrā. Ille enim pristinus carnalisq́ homo, qui diē sabbati uiolare ausus est dū ligna colligeret, propter quod est & punitus,formam significabat eius,qui hodie in Christo signatus, inuenitur agere carnale opus: id est cōtrahere ligna,fœnum, stipulā, ad escā ignis æterni conuenientem:quæ dum colligit in suā perniciem,si fuerit deprehēsus,pellitur ab omnibus, & statim occiditur: dū iudicatur ab spiritualibus. Sic ergo omnia quæcunq; illis Iudæis per legem acciderunt,formaliter intelligenda sunt.

Dathan & Abiron. Cap. XIII.

Sequitur iam excidium Chore, Dathan & Abiron: qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem,sacrificandi licentiam uindicātes, pœnas pro suis conatibus expenderūt. Per quos itaq; significantur hi,qui hæreses & schismata facere conanť, & multos secum trahendo decipiunt:contemnentes sacerdotes Christi, & se à clero eius plebisq́ societate segregantes, constituere audent ecclesias & aliud altare: precemq́; alteram illicitis uocibus faciunt: dominicæ hostiæ ueritatem per falsa sacrifi-

cia prophanantes. Hi qui contra dei ordinationem nituntur, ob temeritatis audaciam terræ compagibus ruptis, uiuentes profundi hiatu mergũtur. Nec tantum hi qui duces errorum sunt, sed & illi qui cõsentiendo participes eorũdem effecti sunt, in igne æterni iudicij præparata ultione peribunt.

Aaron cum thuribulo. Cap. XIIII.

Deinde Aaron sanctus, ruina mortis in populo transiecta, thuribulũ accipiens, cucurrit obuiã quassationi: stansq; in medio superstitum ac peremptorũ, lætalẽ plagã obiectu sui, quasi quidam murus exclusit. Iste sacerdos, dominus IESVS CHRISTVS est: princeps princıpũ sacerdotũ. Iste ruinã mortis in mũdo aspiciens, occurrit à summo cœlo, uenitq; obuiã quasi gigas ad currendam uiã, stetitq; inter uiuos & mortuos, q natus et mortuus: sicq; thuribulũ passionis suæ accipiens, & in odorẽ suauitatis prætendens, suspendit ignis æterni perniciẽ: & inimicã pertulit mortem.


Virga florens. Cap. XV.

Virga autẽ Aaron, quæ post siccitatẽ floruit, caro insinuatur Christi: quæ postea q̃ de Iesse radice succisa est, uiuacius mortificata reuiuiscit. Itaq; uirga post ariditatẽ uirescẽs, Christus est post mortẽ resurgens. Ipsum enim uirgã, ipsum florem intelligimus: ut & in uirga regnantis potentia: & in flore pulchritudo eius monstretur. Vnde & in Canticis canticorum idem dicit: Ego flos campi, & lilium conuallium. Alij uirgam hanc quæ sine humore florem protulit, MARIAM uirginem putant,

putăt, quæ fine coitu edidit uerbum dei: De qua fcriptum eft: Exiet uirga de radice Ieffe, & flos de radice eius afcendet, fcilicet CHRISTVS, qui futuræ typum præferens paffionis, candido fidei lumine & paffionis fanguine purpurabat: flos uirginum, corona martyrum, gratia continentium.

Vitula rufa. Cap. XVI.

Reftat interea uitula rufa in holocaufto concremata: cui⁹ cinis expiatio populi erat: Sic enim dicit ad Moyfen de illa & Aarō: Præcipe filijs Ifraël ut adducant ad te uaccā rufam ætatis integræ: in qua nulla fit macula, nec portauerit iugum: tradetisq; eam Eleazaro facerdoti: quæ educta extra caftra immolabit in confpectu omniū: & intinget Eleazar digitum in fanguine eius, & afperget contra fores tabernaculi fepties, combureťq; eā cunctis uidentibus, tam pellē & carnem eius q̄ fanguinē & fimum flammæ tradens. Lignū quoq; cedrinum & hyffopū, coccumq; bis tinctum facerdos mittet in flammā quæ uaccā uorat: & tunc demum lotis ueftibus & corpore, ingredietur in caftra: cōmaculatusq; erit ufq; ad uefpeꝝ. Sed & ille qui cōbufferit, lauabit ueftimenta fua, & corpus immundum erit ufq; ad uefperū. Colliget autē uir mundus cineres uaccæ, & effundet eos extra caftra in loco puriffimo, ut fint multitudini filiorū Ifraël in cuftodiam & in aquam afperfiōis: quia pro peccato uacca cōbufta eft. Habebuntq; hoc filij Ifraël & aduenę fanctum iure perpetuo. Et qui tetigerit mortuum, & propter hoc feptem diebus fuerit immundus, afpergetur ex hac aqua die tertio, & die feptimo mundabitur. Si die tertio afperfus non fuerit



uel septimo, non poterit emundari.) Vitula rufa cáro est saluatoris, rosea sanguine passionis: ætatis integræ, quia perfecta ætate passionẽ suscepit. Quod autem non est impositum super illam iugum, hoc ostendit, ꝙ caro Christi non est subiugata delicto: neq; uicta ab ullo peccato. Quòd autem apprehensam eiecerunt filij Israël extra castra astante Eleazaro sacerdote, populum Iudæorꝫ significat, & consensum sacerdotũ in necẽ domini: quẽ eiectũ extra Hierusalẽ, crucifixerunt. Sicut ergo qui offerunt uitulam immundi sunt, sic & qui apprehenderunt dominũ peccatores habenť. Et sicut is qui colligit cinerem aspersionis mũdus est, sic & omnes mũdi sunt qui passionẽ Christi prædicauerunt gentibus, & in toto orbe terrarꝫ doctrinã eius asperserunt: populosq; dño collegerũt. Ligna aũt hyssopũ, crucẽ putamus & baptismũ. Per hyssopi enim fasciculũ aspergebantur agni sanguine qui mundari solebant: typice figurantes lauacrũ baptismatis, & alluuionem æterni fontis. Coccũ aũt bis tinctũ, figurã sacri sanguinis significari, quo peccatores abluunť. Bis tinctũ aũt, quia per eũ & corpore & corde mũdamur. Hæc enim tria ad purgationẽ peccatorꝫ sunt tradita. Primum per cedrum, fides ligni crucis. Secundo per hyssopum, martyriũ. Tertio per coccum, sanguinis dominici sacramentum. Sicut enim illic die tertia purificari iubentur, ita & omnis anima purgatur ab omnibus delictorꝫ sordibus, quæcũq; credit Christũ dñm die tertia à mortuis suscitatũ. Huius etiã aspersione homo mũdus erit in die septima: id est in regno sanctorꝫ adueniente dño: & beatus ac lætus parte cœlestis illius regni potietur. Qui autẽ

non

non fuerit aspersus, id est huius gratiæ fide munitus, peribit anima illa de regno sancto sanctorum, & de populo fidelium. Ex sanguine autem huius uitulæ ideo septies tabernaculũ iubetur aspergi, quia septẽ sunt spiritus sancti charismata, quæ per Christi sanguinem super ecclesiæ populos distribuunt, per quæ ab omni delicto purgantur, sicut Apostolus ait: Iam abluti estis in sanguine Christi & passione eius. Q, uero uitula cum pelle & ossibus suis cõburitur, & agnus ille paschalis pari modo concrematur, ne ossa eius confringantur, hoc ostendit, ꝙ domini Iesu Christi corporis ossa in passione non essent confringenda, sicut euangelia testant. Moraliter autem uacca rufa cuius cinis expiatio populi est, non aliter immolari & offerri ad altare domini poterit, nisi quis terrena opera nõ fecerit, iugumq; delicti nõ traxerit: nec uinculis peccatorum fuerit alligatus. Iam dehinc post exploratores & botrum, post excidium superboꝝ & sacerdotale thuribulũ, postq; uirgam florentem & uitulæ combustę aspersionem, reuertamur ad mansiones.

SExtadecima mãsio est in Remmon phares, quod Latine dicitur mali punici diuisio, quæ significat ecclesiã: q̃ quasi multa grana uno cortice contegit, dũ omnẽ turbã credentiũ in fidei unitate cõcludit.

SEptimadecima mansio est in Lobna, quæ Latine transfertur in laterem. Legimus Aegyptios lateres, quos populus faciens ingemuit: ex quibus discimus in itinere istius uitæ de alio in alio trãsitu nũc nos crescere, nunc decrescete: & post ordinem ecclesiasticum sæpe ad laterem, id est carnalia opera transmigrare.

OCtauadecima mansio est in Rethsa quæ in frenos uertitur: Si enim post profectum rursus ad luculenta opera descendimus, infrenandi sumus, & cursu uagi atq; præcipites, scripturarum retinaculis dirigendi.

NOnadecima mãsio est in Celetha, quæ interpretatur ecclesia: scilicet ut uagi currentiũ gressus, frenis ad ecclesiam retrahantur: & fores quas ante reliquerant, rursus festinent intrare.

VIcesima mansio est in monte Sepher, qui interpretatur pulchritudo, id est Christus. Et uide qd prosunt frena, quia à uitijs nos retrahũt: introducũt ad uirtutum choros, & in Christo monte pulcherrimo habitare faciunt: de quo scriptũ est: Venite ascẽdamus ad montem domini.

VIcesimaprima mansio est in Arada, quæ uertitur in miraculum. Et uide q pulcher est ordo uirtutum: Post frenos enim in ecclesiam intromittimur: post habitationem ad Christi montem ascẽdimus: in quo positi, miramur in eo quod nec ocul[9] uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

VIcesima secunda mansio est in Maceloth quæ in cœtũ uertitur, id est ecclesiam. In hac enim consistit multitudo credentium, iuxta quod scriptũ est: Ecce q̃ bonũ & q̃ iocundũ, habitare fratres in unũ.

VIcesimatertia mãsio est in Thaath quæ interpretatur pauor: quia dum quisq; uenit ad ecclesiã, atq; ascendit ad montem pulcherrimum Christũ, & stupore & miraculo, Christi magnitudinem consitetur, adiũgat deinde timorem qui custos est beatitudinis, ut altum nõ sapiat: quia deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

VIcesimaquarta mansio est in Thare, quā nonnulli uertunt in malitiā siue pasturā: quod bene ad præpositos ecclesiarū, uel ad custodiā animæ refertur: ut solicitus sit quisq; qui habet pauorē, ne leo, id est diabolus in caulas ouiū, id est in ecclesias per diuersa uitiorū foramina, introire nitatur.

VIcesimaquinta mansio est in Metcha quæ uertitur in dulcedinē. Ascēdisti enim in excelsum, admiratus es uirtutum choros, timuisti ruinam, abegisti insidiatores seu stridores, dulcis te protinus fructus laboris insequitur, ut merito dicas: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.

VIcesimasexta mansio est in Asmona, quæ in Latino festinationem sonat: scilicet ut postq̄ dulces fructus labores sumpserimus, non simus quiete contenti & otio, sed rursus ad ulteriora properantes, obliuiscamur præteritorum, & in futura nos extendamus.

VIcesimaseptima mansio est in Maseroth, quod interpretatur uincula siue disciplina: scilicet ut festino gradu pergamus ad magistros, eorumq; teramus limina: & præcepta uirtutum ac mysteria scripturarum, uincula putemus esse æterna. Hæc sunt Christi uincula, de quibus in ecclesia legitur: Viri sublimes ad te transibunt & tui erunt: post te ambulabunt colligati uinculis. Et alia diaboli uincula: quibus diruptis, uicit hostes Samson: de qualibus propheta dicit: Dirupisti uincula mea, tibi immolabo hostiam laudis.

VIcesimaoctaua mansio est Bane iacan, quæ

per interpretationē transfertur in filios necessitatis seu stridoris. Qui sint isti filij necessitatis, psalmus ipse nos docet: Afferte domino filij dei: afferte dño filios arietum. Quæ est tanta necessitas, quæ nolentibus imponatur? Cum diuinis scripturis fueris eruditus, & leges earū ac testimõia: uincula quoq; scieris ueritatis, contendens cū aduersarijs ligabis eos, & uinctos duces in captiuitatē: & de hostibus quõdam atq; captiuis, dei liberos facies: ut repēte dicas cum Sion: Ego sterilis & non pariens: transmigrata & captiuata. Et istos quis enutriuit? Ego destituta & sola. Et isti ubi erant? Porrò quod interpretatum est, filios stridoris, ad illū sensum refertur, q; timore supplicij, & eius loci ubi est fletus & stridor dentiū, deserentes diaboli uincula, Christo domino credētiū turbæ colla summittunt.

VIcesimanona mansio est in monte Gadgad, quæ interpretatur nūtius siue accinctio, uel certe cõcisio. Non enim aliter possumus magistri discipulorum atq; credentiū eos facere filios necessitatis, nisi præceptores eorum interfecerimus crudelissimos. In occisionem eorū non parcat manus nostra, armum aut extremū auriculæ, de ore leonis extrahere. At uero de nuntio & accinctione, hoc breuiter dici potest, q; filius necessitatis grādes uirtutis stimulos suggeramus, cum eis nuntiauerimus præmia futurorꝝ, & accinctos inire bella docuerimus. Horū triū quicquid magister fecerit, in monte consistit.

TRicesima mansio est in Iothabatha quod interpretatur bonitas, quæ est Christus.

TRicesimaprima mãsio est in Ebrona, quæ interpretaẽ trãsitus, id est mūdus, de quo Apostolus

ait:Præterit enim figura huius mundi. In hunc uenientes sancti dei,cupiũt ad meliora trãsire,de quibus psalmista canit:Et non dixerũt qui præteribãt, benedictio domini super uos.

TRicesima secũda mansio est in Asiongaber, q̊d transfertur in ligna uiri.Possunt hæc ligna uiri saltuum & omnium arborum genera,multitudinẽ gentium figurare. Hucusq; solitudo Pharan decem & octo continet mansiones,quæ descriptæ in catalogo,in superiore itinere componuntur.

TRicesimatertia mansio est in deserto Sin,hæc ẽ Cades.Sin autẽ sancta interpretatur tropo per antiphrasim,sicut lucus cũ minime luceat, uel bellum quod tamen sit horridum.

Mariæ mors. Ca. XVII.

IN hac mansione moritur Maria,& sepelĩt. Videt in Maria prophetia mortua:in Moyse & Aaron legi & sacerdotio Iudęorum finis impositus,quod nec ipsi ad terram repromissionis transcendere ualeant,nec credentem populum de solitudine huius mundi educere,nisi solus Iesus,id est saluator uerus dei filius.

Moysi titubatio ad petram. Ca. XVIII.

IN hac enim mansione propter aquas contradictionis Moyses offendit dominum,& prohibetur transire Iordanem. Perturbatus eñ murmure populi,dubitanter petrã uirga percussit,quasi illud nõ posset deus facere,ut aqua de petra proflueret,quod antè iam fecerat. Quid ergo hic fides Moysi insinuat,q̃ ad aquam de petra eiciẽdam,titubauerit? Hãc propheciam fuisse de Christo recte

 intelligi-

Intelligimus. Dũ enim Moyses in scripturis sanctis aliã atq; aliã pro re aliqua significãda gerat personam: nũc tamen populi Iudæorũ sub lege positi personã gerebat, eumq; prophetica prænũtiatione figurabat. Nã sicut Moyses petrã uirga percutiẽs, de dei uirtute dubitauit: ita ille populus, qui sub lege per Moysen data tenebantur, Christũ ligno crucis affigens, eum uirtutem dei esse non credidit. Sed sicut percussa petra manauit aquam sitientibus, sic plaga dominicæ passionis effecta est uita credentibus. Amemus enim de hac re præclarissimã & fidelissimã uocẽ apostolicã, cum inde loqueret dicens: Petra aũt erat Christus. Hanc ergo carnalẽ de Christi natiuitate desperationẽ in ipsius Christi altitudine deus mori iubet, cũ mortẽ carnis Moysi in monte imperat fieri. Sicut eñ petra Chrũs, ita & mons Christus. Petra, humilis fortitudo: mons, eminens magnitudo: q; sicut Apl'us ait, Petra erat Christus, ita ipse dominus ait: Non potest ciuitas abscõdi supra montem posita: se scilicet montem: fideles aũt suos ĩ sui nominis gloria fundatos, asserẽs ciuitatẽ. Prudentia eñ carnis uiuit, cũ tanq̃ petra percussa, Christi humilitas in cruce contẽnit. Chrũs eñ crucifixus, Iudæis scandalũ, gentibus aũt stultitia. Et prudentia carnis moritur, cum tanq̃ montis eminẽtia, Chrũs excelsus agnoscit. Ipsis enim uocatis Iudæis & Græcis, Chrũs dei uirtus & dei sapiẽtia est.

Mors Aaron. Ca. XIX.

TRicesimaquarta mãsio est in monte Hor, in extremis finibus Edom, in quo ascendit Aaron iuxta præceptum domini, & mortuus ẽ, anno XL. egressionis ex Aegypto: eo .s. anno quo

nouus

nouus populus, repromissionis terram intraturus erat. Et quanq̃ in mõte sacerdotiũ Eleazaro filio dereliquerit, lexq́; eos qui eã impleuerũt perducat ad summũ, tamen ipsa sublimitas non est trans fluenta Iordanis, sed in extremis terrenorum operum finibus remansit. Et plangit eum populus triginta diebus.) Aaron plangitur, Iesus non plangit. In lege descensus ad inferos, in euãgelio ad paradisum trãsmigratio. Audit quoq; Chananæus quod uenisset Israel, & in locum exploratorum ubi quondam offendisse populum nouerant, ineunt prælium, & captiuum ducunt Israel: rursusq́; in eodem loco pugnatur: ex uoto uictor uincitur, uicti superant. Per quod intelligamus, ut cum nos dei auxilio destitutos hostes inuaserint, duxerintq́; captiuos, non desperemus salutem, sed iterum armemur ád præliũ: potest fieri ut uincamus ubi uicti sumus, et in eodẽ loco triumphemus, in quo fuimus ante captiui.

TRicesimaquinta mansio est in Salmona.

Serpentium uulneratio. Ca. XX.

TRicesimasexta mansio est in Phinon. Hæ duę mansiones in ordine historiæ non inueniuntur. In his mortuo Aaron, murmurant Israelitici populi contra deum & Moysen: manna fastidiunt, á serpentibus uulnerantur. Sed quid significat quòd morsus mortiferi serpentum, exaltato & respecto æneo serpente, sanabantur, nisi quòd nũc in typo saluatoris, qui uerum antiquum'que serpẽtẽ in patibulo triumphatum, diaboli uenena superantur: ita ut qui uere expresse'que imaginem filij dei, passionem'que eius conspexerit, conseruetur.

Hoc

Hoc eñ significant & uerba ipsius domini dicentis: Sicut exaltauit Moyses serpentẽ in deserto, sic oportet exaltari filium hominis, ut om̃is qui credit in eũ non pereat, sed habeat uitam ęternam. Quòd uero æneus est serpens ipse qui ligno suspẽsus est: æs quippe metallis cæteris esse durabilius solet. Et apte ęneus serpens ligno suspensus est, ut dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus, uidelicet ut & indicaretur mortuus per humanitatẽ, & tamen esset quasi æneus per diuinitatẽ. Pulchre autem prima mansio Salmona, interpretatur imaguncula, quia nimirum ibi imago expressa est saluatoris per serpentem æneum, qui in ligno pependit. Pulchre etiam & secũda Phunon interpretatur os, quia postea quàm passionẽ filij dei cognoscim⁹ quod corde credimus, ore pronuntiamus, legentes illud Apostoli: Corde creditur ad iustitiam, ore aũt confessio fit ad salutẽ.

TRicesimaseptima mãsio est in Oboth, quæ uertitur in magos siue pythones. Vnde demonstratur, quia post imaginem dei quæ in cordis ratione monstratur, & confessionem fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes, & artes maleficæ ad bella nos prouocant: sed nos custodia circũdantes cor nostrum, obturamus aures nostras, ne audiamus uoces incantantium, & Sirenarum carmina negligamus.

TRicesimaoctaua mãsio est in Ieabarim, in finibus Moab, quæ significat aceruos lapidum trãseuntium, id est, sanctos per istud seculum ad alias mansiones transire festinantes.

Seon rex Amorrhæorũ. Ca. XXI.

Trice

TRIcesimanona mansio est in Dibon gad. In hac geritur bellum contra Seon regẽ Amorrhæorum,& Og regẽ Basan.In his regibus licet res gesta agnoscatur, tamẽ per conditiones uirtutesq́ nominum, spiritualis significatio est subiecta.Seon nanq; interpretatur tentatio oculorum: per quod figurať diabolus, qui trãsfigurat se uelut angelum lucis,& per heresim uel schisma uerisimilia mentitur,ut fallat incautos.Hunc Amorrhæi, id est,amaricantes habent regem.Nisi enim quędam simulatio ueritatis præcedat,non sunt hereses amaricantes:non schismata exacerbantium in ecclesia. Iste ergo rex occiditur in unoquoq; homine, quando quisq; damnat simulatiõem, & diligit ueritatẽ. Og uero rex interpretatur conclusio:Basan aũt confusio.Id enim agit diabolus semper,ut cõcludat uiam ad dominum,opponendo idola sua, ne credať in Christo.Conclusio eñ præcedit ut rex, sequiť cõfusio tanq̃ plebs:quia q̃s modo conclusit ne credãt in Christũ, quando apparuerit Christus,omnes cõfundentur.Mansio autem ista Dibongad,interpretatur fortiter intellecta tentatio , quia nimirum si superetur simulatio, quæ per schisma uel hæresim exacerbat ecclesiam, & conclusio quæ per sacrilegium claudit fidei uiam,nihilominus tẽtatio intelligitur:ac deinde intellecta fortiter superatur.

QVadragesima mãsio est de Dibongad in Almõ diblathaiema, quæ uertitur in contemptũ plagarũ siue opprobriorum: & per hoc discimus omia dulcia & illecebras uoluptatum prætereuntes in seculo cõtemnẽdas, & opprobria diligẽda, quæ & si falso abijciantur,beatitudinem pariunt, saluatore plenis-

pleniſſime perdocēte qui ait:Cum exprobrauerint uos homines,beati eritis.

Moyſi mors. Ca. XXII.

QVadrageſimaprima manſio ē in mōte Abarim,contra faciem montis Nabo, quæ uertitur in montem traſeuntiū,& eſt contra faciem montis Nabo,ubi moritur & ſepelitur Moyſes,terra repromiſſionis ante cōſpecta. Nabo interpretatur concluſio,in qua finitur lex,& nō inueniē eius memoria. Porro gratia euāgelij abſq; ullo fine tendiē.In oēm enim terrā exijt ſonus eorꝝ,& in fines orbis terræ uerba illorꝝ. Simulq; conſiderandū eſt, ꝙ habitatio tranſeuntiū in montibus ſita ſit,& adhuc profectu indigeat.Poſt montes em̄ plurimos, ad cāpeſtria Moab, & Iordanis fluēta deſcēdimus, qui interpretatur deſcenſio.Nihil em̄ tam periculoſum eſt,q̄ cupiditas gloriæ & iactantia, & animus conſcientia uirtutū tumens.

Balaam diuinus. Ca. XXIII.

QVadrageſimaſecunda māſio eſt in cāpeſtribus Moab, ſuper Iordanem, contra Iericho, ubi fixerunt tētoria,à domo ſolitudinis uſq; ad Abel ſitim,in planitie Moab.In quadrageſima ſecunda,quæ extrema manſio eſt, quædā quæ ſint geſta narremus.Rediens in ea ppl's à diuino Balaā, quē mercede conduxerat Balach, dei iuſſu benedicitur,& maledictio mutaē in laudes. Sed qd eſt q̊d iſte Balaam dū peruenire ad ꝓpoſitū tenderet,aſina cui præſidebat, dum uidiſſet angelū, loquitur? Quæ eſt enim hęc aſina,niſi bruta gentilitas, quam quondam Balaam,id eſt, ſeductor idololatriæ qua ſi brutū aīal,& nulla ratione renitens,quo uoluit er

roꝛe

rore subſtrauit? Sed iſta angelũ dei uidit, quem homo uidere non potuit: & uidit, & detulit, & locuta eſt, ut agnoſceremus tẽporibus poſterioribus ſub aduentu magni angeli dei, gentilem illam plebem, mutata duritia ſoliditatisq; natura, ſolutis de ea linguis locuturam, ita ut quæ erat ſubiecta perfidiæ, in uocem fidei & confeſſionis erumpat: licet & caro noſtra animal eſt. Plerunq; enim caro per moleſtias tacta, flagello ſuo menti deum indicat, quem mens ipſa carni præſidens non uidebat: ita ut anxietate ſpiritus proficere in hoc mundo cupientis uelut iter tendẽtis impediat, donec ei inuiſibilem qui ſibi obuiat innoteſcat. Vnde & bene per Petrum dicitur: Correptionem habuit ſuæ ueſaniæ ſubiugale mutum, quod in hominis uoce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam. Inſanus quippe homo à ſubiugali muto corripitur, quãdo elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat, ab afflicta carne memoratur. Sed huius correptiõis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens, uocem non mentem mutauit. Conſilium quippe dedit regi Balach, ut mulieres in meretricario poneret, & ante ianuas earum aras, ut uenientes filij Iſrael prius ſacrificarent idolis, & ſic ingrederentur ad mulieres. Vnde eſt fornicatus Iſrael cũ filiabus Madian. Sed quid eſt quod iſte Balaam populum dei poſſe decipi certa ratione collegit, dãs conſilium, ut ex illa parte, qua infirmari nouerat filios Iſrael, pernitioſi ei laquei tenderentur, non dubitans eos oblata copia fœminarum, fornicationis ruina protinus collapſuros? quia cõcupiſcibilis ani-

animæ eorum patres sciebat esse corruptos. Ita ergo unumquenque nostrum nequitiæ spirituales versuta malignitate in figura Balaam pertentant, illis præcipue affectibus animæ insidiosos laqueos præstruentes, quibus nos senserunt ægrotare: ut verbi gratia, cum vident rationabiles animæ nostræ partes vitiatas, illo nos ordine decipere moliantur.

Phinees sacerdos. Ca. XXIIII.

SEd Phinees sacerdos zelatus, ut domini furorē placaret, Zambrim & scortū Madianitiden pugione transfigit: significans per crucem Christi non solum idololatriam, sed etiam omnem carnis affectum vel concupiscentiam perimi seculi, & tunc placari deum, dum carnis extinguitur desiderium. Post hæc numeratur rursum populus, numerantur & Leuitæ, ut interfectis primis carnalibus, nouus dei populus censeatur, qui per Iordanis baptisma transeat, & cælestis hæreditatis repromissionem percipiat.

Numerus populi. Ca. XXV.

POrro quod sexcentena milia armatorꝝ de Aegypto numerantur egressa, & ex ipsis nō sunt amplius q̃ duo tātum terram repromissionis ingressi, hæc figura demonstrat multos per baptismum ad fidem transire, sed ad patriam cœlestem valde paucissimos peruenire, secundum figuram illam in euangelio, in qua multi vocati, pauci aūt inueniuntur electi. Quod vero duo tantum ingrediuntur, aut propter eos ex utroque populo regni cœlestis promissionem adipiscūtur: aut propter illos, qui per duas vias actionis & contemplationis, ad æternā beatitudinē prædestinantur.

Quin

Quinq; filiæ Salphat. Ca. XXVI.

INterpellant dehinc quinq; filiæ Salphat: & iudicio dei hæreditatem accipiunt inter fratres suos, nec legis plebs ab euangelij possessione excluditur.

Genera oblationum. Ca. XXVII.

DEinde Iesus Moysi in monte succedit, & discit quæ spiritualiter debeāt offerri in ecclesia. Legi enim succedit euangelium: ibiq; lex facienda præcepta admonet, & gratia cōplet. Primum quidē quid offerri debeat per singulos dies, dehinc quid in sabbato propter spem quietis æternæ: quid in calendis pro innouatione uitę, quid in pascha quando consepelimur cum Christo per baptismum, quasi à mortuis transeuntes ad uitæ nouitatem: quid in pētecoste propter gratiam spūs sancti, & indulgentiam remissionis peccatorum: quid in neomenia mensis septimi: quid in ieiunio eiusdem mensis decimæ diei: quid in scenopegia, quando figuntur tabernacula quintodecimo die supradicti mensis. Mors Balaam. Ca. XXVIII.

DEhinc texitur bellum contra Madianitas, & mors diuini Balaam: in cuius nece error perfidiæ ligno crucis infigitur: fitq; dehinc de Amalech præda diuisio, & oblatio ex ea animaliū in tabernaculo dei.

Filij Ruben & Gad. Ca. XXIX.

POst hæc filij Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse iumentā plurima habentes, contra Iordanē possessionem accipiunt, & in repromissionis terra hæreditatē habere nolunt: figurantes quia qui post multa mundi implicamēta occu-

pantur, habitationē cœlestis patriæ nequaq̄ desidē tant. De idolo destruendo. Ca. XXX.

Docetur dehinc ppl's ut in terra sancta idola destruat, & nullus de prioribus habitatoribus seruetur: ad significandū, ut dū in terrā sanctæ repromissionis per fidē ingredimur, simul cū idololatria etiā omnia uitia extinguamus.

Enarrationis Isidori in Numeros finis.

CAPITVLORVM DEVTE ronomij elenchus.

Quid significet, ꝙ undecim dieb⁹ Deuteronomiū à Moyse scribit. I
De XL. annis labariose peractis à filijs Israel, & uestimentis eoꝝ non attritis. II
De non plantando ligno iuxta altare dei. III
De auferendis præputijs ligni pomiferi. IIII
De non operando in primogenito bouis, & non tōdendis primogenitis ouium. V
De non arando in boue simul & asino. VI
De non alligando os bouis triturantis. VII
De non coquendo hœdo in lacte matris suæ. VIII
De non induēda ueste ex lana linoq́ cōtexta. IX
De non accipienda loco pignoris superiore & inferiore mola. X
De non abominando Aegyptio. XI
De non habendis in sacculo diuersis pōderibus. XII
De triū testimonio uel duoꝝ ualituro. XIII
De uxore fratris accipienda, eiusq́ semine suscitando. XIIII
De formidoloso ac pauido, ꝙ non egrediatur ad bellum. XV
De interemptiōe septē gentiū quas dominus tradi-

dic

dit Israeli. XVI
Quod dñs cum Abrahã de futuris loqueretur, nõ se ptẽ, sed decẽ legit gentes dinumerasse. XVII
De muliere decora capta in bello, & eradendis capil lis eius. XVIII
Quid significet securis ligna cædens, manubriũq; effugiens. XIX
De pollutione somnij nocturni. XX
De paxillo in baltheo egredientis ad requisita naturæ. XXI
De XL. flagellis delinquẽtibus adhibendis. XXII


ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in Deuteronomium Enarratio.

Quid significet ꝙ xi. diebus Deuteronomium à Moyse scribitur. Ca. I.

LIBER Deuteronomij, repetitio est præcedentiũ quatuor librorum legis. Nã dũ illi in se proprias contineãt causas, iste tñ replicat oĩm. Habet aũt & ipse proprie innũerabilia sacramẽta, è qbus pauca pro exercitio lectoris studui memorãda. Deuteronomium aũt scda legislatio dicit̃, q̃d significat euãgeliũ. In cuius principio notandũ est, qd indicet ꝙ xi. diebus idẽ Deuteronomiũ à Moyse scribit̃, nisi ad significandũ Iudaicæ plebis lapsum in euangelio, ꝑ trãsgressionẽ decalogi mandatorum?

De xl. annis laboriose peractis à filijs Israel, & uestimentis eorum non attritis. Ca. II.

QVid aũt significauerũt XL. anni, quibus laboriose peractis, filij Israel ad repromissiõis terrã trãsierũt? Per hos quippe XL. annos, totum seculi tp̃s significat̃, in q̃ uiuit ecclesia sub labo



ribus & periculosis tentationibus, sperando quod nõ uidet per patientiã: quousq; ad promissam æternæ felicitatis perueniat patriã. Ideo & dñs quadragita diebus tẽtatus est in eremo. Corpus eñ, quod est ecclesia, necesse est ut tentationes laboresq; patiatur in hoc seculo, quoadusq; ueniat illud tempus, ubi post tentationes suscipiat consolationes. Porro quod uestis Israël per tot annos in eremo nulla uetustate corrupta est, & morticina pellis calceamentorum tam diu sine labore durauit, potest signare futuram corruptibilitatem corporum, ubi ea quæ corruptibilia sunt, sine corruptione permanebũt.

De non plantando ligno iuxta altare dei. Capur III.

NOn plantabis omne lignũ iuxta altare dei, nec facies nemus.) Interdicitur quippe ne nemus complãtetur in templo. Nemus, frõdentes arbores & infructuosæ sunt, sola delectatione uisus plantatę. Tales sunt & gentiles, qui rationem suam uerborum decore componunt, ut non conuertantur à uitijs, sed delectentur: atq; istiusmodi subiectione persuadeãt. Nos autem secundum præceptum dei iuxta altare nemus nõ plantamus, si circa dominicã fidẽ nihil in uerbis infructuosum, nihil audientiæ secularis illecebrosum cõponimus, sed sola puritate ueritatis, scientiã prædicationis tenemus. Hoc nemus in prædicatione sapientiæ plãtare deuitabat Apostolus, cũ dicebat: Et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritus & uirtute.

De auferendis præputijs ligni pomiferi. Caput IIII.

Quid

QVando ingressi fueritis in terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis preputia eorum: pomorum'que germina immunda erunt uobis, nec edetis ex eis.) Ligna quippe pomifera, sunt opera uirtutibus fœcũda. Preputia itaq; lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia operũ nostrorum non approbamus. Poma autẽ 'quæ germinãt, immũda existimamus, nostrisq; cibis aptamus: qa cum primordia boni laudantur operis, dignum est ut adhuc animũ non pascat operantis: ne dum accepta laus suauiter carpitur, fructus operis intempestiue comedatur.

De non operando in primogenito bouis, & non tondendis primogenitis ouiũ. Ca. V.

NOn opaberis in primogenito bouis, & nõ tondebis primogenita ouiũ.) In primogenito quippe bouis operari, est bonæ cõuersationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ouium quoq; primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine, humanis oculis inchoantia bona nostra nudare. In primogenito ergo bouis operari prohibemur: atq; à primogenitis ouium detondendis cõpescimur: quia & si quid robustũ incipimus exercere, hoc in aperto citius non debemus ostendere. Sed cũ uita nostra simplex qd innocuumq; inchoat, dignum est ut secreti sui uelamina non relinquat: nec hoc humanis oculis quasi subducto uellere ostẽdat. Ad sola ergo diuina sacrificia, boũ primogenita ouiumq; proficiant: ut quicquid forte innocuũ incipimus, hoc ad honorẽ intimi iudicis in arã cordis immolemus, q; ab illo pro-

culdubio tanto libentius accipiť, q̃to & ab hoĩbus occultatũ, nullo laudis appetitu maculať. Sæpe aũt nouæ conuersationis primordio, adhuc carnalis ẽ uita cõmixta: & idcirco innotescere citi⁹ nõ debẽt: ne cũ laudanť bona quæ placẽt, deceptus laude sua animus, deprehendere in eis nequeat mala q̃ lateť.

De non arando in boue & asino simul. Ca. VI.

NOn arabis simul in boue & asino.) In bouis noie populus ex circũcisione, positus sub iugo legis, accipiť: in asino aũt populus gentium, pertinens ad euangeliũ. In boue quippe simul & asino arat, qui sic recipit euãgeliũ, ut Iudaicarũ supstitionũ, quę in umbra & imagine pręcesserãt, ceremonias relinquat. Item nonnunq̃ in boue bene operãtium uita: in asino stultorũ uecordia figurať. Quid est ergo, Non arabis simul in boue & asino? Ac si diceret, Fatuũ sapienti in prędicatione non socies, ne per eũ qui rẽ implere non ualet, & illi qui p̃ualet obsistas. Bouem quippe & asinũ si necesse sit, unusquisq; sine detrimento operis iungit: sapientẽ uero & stultũ, non ut unus præcipiat, & alter obtẽperet: sed ut pariter ęquali potestate annuntiẽt uerbum dei, non sine scandalo quisq; comites facit.

De non alligando os bouis triturantis.
Caput VII.

NOn alligabis os boui trituráti.) Dictum est, q̃ in bouis noie uita uniuscuiusq; operãtis exprimitur. Dicit quodã in loco apostolus Paulus, reprehendens & dolens, q̃ nemo illi communicauerit in ratiõe dati & accepti, nisi q̃ in alio loco apte exposuit dicẽs: Si nos uobis spũalia seminauimus, magnũ est ut carnalia uestra metamus?

hoc significat: Non alligabis os boui trituranti. Unde & idē Apostolus alio loco dicit: Dignus est operarius mercede sua. Vult ergo scriptura doctoribus præstari carnalia, à quibus spiritualia consequunt̄, quia prædicatores occupati in doctrina, necessaria sibi prouidere non possunt.

De non coquendo hœdo in lacte matris suæ. Cap. VIII.

NOn coques hœdū in lacte matris suæ.) Hœdus, hic sub peccatoris figura introducitur. Proinde peccans non est coquēdus in lacte matris: id est, nō est purgandus mediocribus tenerrimisq́ ecclesiæ disciplinis: sed austerioribus præceptis eius sunt excoquenda peccata, cuius magna sunt crimina: ut qui per lasciuiæ blādimenta se perdidit, fortiori disciplina se redimat.

De non induenda ueste ex lana linoq́ contexta. Cap. IX.

NOn indues ueste ex lana linoq́ contextā.) Per lanā qppe simplicitas: per linū uero subtilitas designatur. Et nimirū uestis quæ ex lana linoq́ conficitur, linū interius celat: in superficie lanā demōstrat. Vestē ergo ex lana linoq́ contextā induit, qui sub locutione innocētię, intus subtilitatē celat malitiæ. Hoc secundū moralē sensum: Cæterū iuxta alterā allegoriā, lineis uestibus misceri lanam uel purpurā, & linostima ueste indui, est inordinate uiuere, & diuersi generis professiōes uelle miscere: ut uel sanctimonialis habeat ornamenta nuptiarū: aut ea quæ se non continens nupsit, speciē uirginis gerat: omnimodo hoc peccatum est: & si quid incōuenienter ex diuerso genere uel religione in uita

cuiusq; contexitur. Verũ illud tunc figurabat̃ in ue-
stibus, quod nunc declarat̃ in moribus.

De non accipienda loco pignoris superiore & inferiore mola. Ca. X.

NOn accipies loco pignoris superiorem molam aut inferiorem.) Accipere nanq; aliquã do dicimus auferre: unde & aues illę, quę rapiendis sunt auibus auidę, accipitres uocant̃. Vnde & Paul⁹ ap̃ls dicit: Sustinetis eñ si qs deuorat, si qs accipit: ac si diceret, siquis rapit. Pignus ṽo debitoris, est confessio pc̃tõris. A debitore eñ pignus accipitur, cũ à peccatore iam peccati confessio tenetur. Superior aũt & inferior mola, est spes & timor. Spes quippe ad alta subuehit, timor aũt cor inferius premit. Sed mola superior & inferior ita sibi necessario iungitur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In pc̃tõris itaq; pectore, incessanter debet spes & formido coniungi: quia incassum misericordiã sperat, si non etiã iustitiã pertimescat. Incassum iustitiã metuit, si non etiã in misericordiã confidit. Loco igit̃ pignoris, mola superior aut inferior tolli ꝓhibetur: quia qui prædicat peccatori, tãta dispensatione cõponere prædicationẽ debet, ut nec derelicta spe timorẽ subtrahat: nec subtracta spe, in solo eũ timore derelinquat. Tollit enim superiorẽ, si flẽti pc̃tm̃ dicat: nõ habebis ueniã de cõmissis: tollit inferiorẽ, si peccantẽ deceptione palpet ac dicat: Age mala in q̃tũ uis absq; metu: nã deus pius ẽ, & ad indulgẽdũ parat⁹. Sed utiliter tũc mola utraq; habet̃, si & spes sit cum emendãte formidine: & formido fuerit cum spe.

De non abominando Aegyptio. Ca. XI.

NOn abominaberis Aegyptium: quia fuisti incola in terra eius.) Quamuis enim mūdo renuntiantes, Aegyptiā terrā, id est pristinā seculi conuersationē uel cōcupiscentiā declinemus, tamen dū præsentis seculi necessitatibus subdimur, quasi Aegyptiā nationē nequaquā extinguimus, licet ab ipsa, quadā discretione separemur, non de superfluis cogitantes: sed simus secundū Apostolum, uictu quotidiano indumentoq; contēti: Hoc enim figuraliter mādabatur in lege: Non abominaberis Aegyptium.

De non habendis in sacculo diuersis ponderibus. Cap. XII.

NOn habebis in sacculo diuersa pondera, id est maius & min⁹: nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustū & uerū: & modius æqualis & uerus erit tibi, ut multo uiuas tempore super terrā.) Hoc & idē legislator etiā in Leuitico interdicit: Salomone quoq; parē super hoc sententiam proferente: Pondus magnū & pusillū, & mensuræ duplices, immunda sunt utraq; apud deū. Et qui facit ea, in adinuentionibus suis cōpedietur. Proinde non solum illo corporali, sed etiā spirituali modo studendū est nobis, ut nec diuersa pondera in cordibus nostris, nec in domo conscientiæ nostræ mensuras duplices habeamus: id est ne ipsi ea quæ districtionis regulā molliunt, remissiore indulgentia præsumentes, eos quibus uerbū domini prædicamus, districtioribus præceptis & grauioribus quā ipsi perferre possumus ponderibus, obruamus. Quod cum facimus, quid nisi diuerso pondere atq; mensura, præceptorum domini mer-

cedem frugemq́;, uel appendimus uel metimur? Si enim aliter ea nobis, aliter nostris fratribus dispensemus, recte increpamur à domino, eo quod stateră diuersam aut mensuras duplices habeamus, secundũ illam sententiam Salomonis qua dicitur: Abominatio est domino pondus duplex: & statera dolosa non est bonum in conspectu eius.

De trium testimonio uel duorum ualituro. Cap. XIII.

NOn stabit aduersus alterum unus testis: sed in ore duorũ aut triũ testiũ stabit omne uerbum.) Licet historialiter hæc sit diuina seruanda sententia, tamen & cum cõtra quoslibet impios uel hæreticos agimus, necesse nobis est & scripturas sanctas in testimonium uocare. Sensus quippe nostri & attestatio, sine his testibus non habent fidem. Vnde magis conuenit ad probationẽ, ut affirmem uerbũ intellectus mei: adhibeo etiam duos testes nouum & uetus testamentum: adhibeo etiã & tres: Euangelium, Prophetã, Apostolũ: sicq́; stabit omne uerbum.

De uxore fratris accipienda, eiusq́; semine suscitando. Cap. XIIII.

ILlud uero quod uxorẽ fratris ad hoc frater iussus est ducere, ut non sibi sed illi sobolẽ suscitaret, eiusq́; uocaret nomine quod inde eidẽ nasceret, quid aliud in figura premõstrat, nisi quia quisq́; euãgelij prædicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri. i. Christo, suscitet semen: qui pro nobis mortuus est: & q̃d suscitatũ fuerit, eius nomẽ accipiat? Deniq́; hoc implẽs Apostolus, nõ carnaliter in premissa significatiõe, sed spiritualiter in cõpleta

ueritate

ueritate, in Christo Iesu p euangeliũ se cõmemorat genuisse. Succẽset eñ eis, & eos increpans corrigit, uolẽtes esse se Pauli. Nunqd Paulus inqt pro uobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Tanq̃ diceret: Defuncto fratri uos genui: Chr̃iani uocamini, nõ Pauliani. At uero qui electus ab ecclesia, ministeriũ euãgelizãdi renuerit, ab ipsa ecclesia merito digneq́ cõtemnit: Hoc est enim, q̄ in eius faciem iubet expuere, nõ sane sine signo huius opprobrij, ut calceamẽto pedis unius exuat, ne sit in eorũ sorte quibus ipse Apost. ait: Et calceati pedes in pręparatione euãgelij pacis: & de qbus cõmemorat p prophetã: Q̃ speciosi pedes eorũ q annuntiãt pacẽ, q annuntiãt bona. Qui eñ sic euangelicã fidẽ tenet, ut & sibi possit & ecclesiæ prodesse & nõ renuit, bene intelligit utroq́ pede calceatus. Qui aũt sibi putat q̄ credidit satis esse consultum, curam uero lucrandorum aliorum refugit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit.

De formidoloso ac pauido, q̄ non egrediatur ad bellũ. Cap. XV.

HOmo formidolosus & corde pauido non egrediatur ad bellũ: uadat & reuertat in domũ suã, ne pauere faciat corda fratrũ suorũ, sicut & ipse timore pterritus est.) Quibus uerbis edocet, nõ posse quenq̃ professionẽ cõtẽplationis, uel spũalis militiæ arripe exercitiũ, q adhuc nudari terrenis opib⁹ ptimescit, ne rursus ad infirmitatẽ mẽtis reuertat, suoq́ exẽplo alios ab euãgelica pfectiõe reuocet: & infideli terrore infirmet. Iubent itaq́ tales, ut discedẽtes e pugna, reuertãt in domũ: qa nõ possãt duplici corde bella dñi pliari. Vir eñ duplex aĩo

inconstans est in omnibus uijs suis. Tales quippe oportet, ut ne initium quidē renuntiationis arripiant: quibus melius est ut in actiua uita consistant, q̄ tepide contemplationē exequentes, maiori discrimini seipsos inuoluant. Melius est enim non uouere, q̄ uouere & non reddere. Similiter & ille à tali militia prohibetur, qui uxorē duxerit: qui plantauerit uineā uelut propaginē filiorū. Non enim potest seruire diuinæ militiæ seruus uxoris: nec potest assequi studiū contemplationis, qui adhuc in delectatione defigitur carnis. Nemo inquit Apostolus militans deo, implicat se negotijs secularibus: ut ei placeat cui se probauit.

De interpretatione septem gentiū, quas dominus tradidit Israëli. Cap. XVI.

CVm introduxerit te dñs deus tuus in terram quā possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coràm te, Cethæū, & Gergeseum, & Amorræū, & Chananæū, & Pherezæū, & Euæū, & Iebusæū, septem gentes multo maioris numeri q̄ tu es & robustiores, tradideritq́ eos dominus tibi, percuties eos usq; ad internicionem.) Septē istæ gētes, septē sunt principalia uitia, quæ per gratiam dei unusquisq; spiritualis miles exuperans, exterminare penitus admonetur. Quod uero maioris numeri esse dicuntur, hæc ratio est: quia plura sunt uitia q̄ uirtutes: Et ideo in catalogo quidē dinumerātur septem nationes: in expugnatione uero earū, sine numeri ascriptione ponunt. Ita enim dicitur: Et deleuerit gētes coràm te. Numerosior est enim q̄ Israël carnalium passionū populus, qui de hoc septenario fomite ac radice procedit uitiorum. De gastrimargia

nam quae nascuntur comessationes: ebrietates. De fornicatione, turpiloquia: scurrilitas: ludicra atque stulti loquia. De philargyria, mendacium: fraudatio: furta: periuria: turpis lucri appetitus: falsa testimonia: uiolentiae: inhumanitas ac rapacitas. De ira, homicidia: clamor & indignatio. De tristitia, rancor: pusillanimitas: amaritudo: desperatio. De acedia, otiositas: somnolentia: importunitas: inquietudo: peruagatio: instabilitas mentis & corporis: uerbositas & curiositas. De cenodoxia, contentiones: haereses: iactantia ac praesumptio nouitatũ. De superbia, contemptus: inuidia: inobedientia: blasphemia: murmuratio: detractio: aliaque quamplurima similia. Quae cũ sint multo maioris numeri quam uirtutes, deuictis tamen illis septẽ principalibus uitijs, ex quorum natura ista procedunt, omnes protinus conquiescunt: ac perpetua pariter cum his internicione delentur. Quod autẽ hae pestes etiã robustiores sunt, manifeste naturae ipsius impugnatiõe sentimus. Fortius enim militat in membris nostris oblectatio carnaliũ passionũ, quam studia uirtutum: quae non nisi summa contritione cordis & corporis adquiruntur. Quod uero istarũ perniciosarum gentium regiones salubriter possidere precipimur, ita intelligitur: Habet enim unũquodque uitiũ in corde nostro propriã stationẽ, sed si cum ab Israelis populo, id est uirtutibus contra se dimicantibus fuerint uitia superata, locũ quẽ sibi in corde nostro concupiscentiae uel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas obtinebit. Quẽ furor cẽperat, patiẽtia uindicabit. Quẽ tristitia mortẽ operans occupauerat, salutaris & plena gaudio laetitia possidebit. Quem acedia uastabat, incipit excolere fortitudo:

fortitudo. Quem superbia conculcabat, humilitas honestabit. Et ita singulis uitijs expulsis, eorum loca id est affectus contrarios possidebunt filij Israël, id est animæ uidentes deum.

Q. dominus cum Abraham de futuris loqueretur, non VII. sed X. legitur gentes dinumerasse. Cap. XVII.

ILlud uero quod cum Abrahã de futuris dñs loqueretur, non septẽ gentes legitur dinumerasse sed decẽ, quarũ terra semini eius danda promittitur, qui numerus adiecta idololatria gentium, blasphemia Iudæorũ, uel errore hæreticorũ euidentissime adimpletur: quibus ante notitiã dei & gratiam baptismi, uel impietate gentiliũ, uel blasphemia Iudæorum, uel errore hæreticorũ, multitudo subiecta est, donec intellectuali Aegypto commoremur. Si autẽ abrenuntians quis, & egressus exinde per dei gratiã ad eremũ peruenerit spiritualẽ, de impugnatione triũ gentiũ liberatus, contra septẽ tantũ quæ per Moysen dinumerantur, bella suscipiet.

De muliere decora capta in bello, & eradendis capillis eius. Cap. XVIII.

SI inquit exieris ad bellũ contra inimicos tuos, & uideris mulierẽ decora specie, & concupieris eam, rades omnẽ pilum capitis eius, & ungulas eius, & indues eam uestimentis lugubribus, & sedebit in domo lugens patrem suũ & matrẽ suã, & post triginta dies erit tibi uxor.) Dicant Iudæi quomodo apud eos ista seruent: quid causę, quid rationis est decaluari mulierẽ, & ungulas eiusdẽ abscidi? Verbi causa, ponamus quod ita inuenerit eam is qui dicit inuenisse, ut neque capillos neque ungulas habeat.

Quid

Quid habuit quod secundum legem demere uidēretur? Nos uero quibus militia spiritualis est, & arma non carnalia sed potētia deo, si decoram mulierem, id est animā quæ à deo pulchra creata est, in gentili conuersatione inuenerimus, & sociare uoluerimus eam corpori Christi, deposito idololatriæ cultu, induitur lugubribus pœnitentiæ indumētis: deploratq́ patrē & matrē, hoc est omnem memoriam mundi, eiusq́ carnales illecebras: deinde uerbi dei nouacula & doctrina, omne peccatū infidelitatis eius quod mortuū & inane est abraditur: Hoc enim sunt capilli capitis & ungulæ mulieris: atq; ita demum salutaris lauacri unda purificata, coniungitur sanctis dei: scilicet cum iam nihil in capite mortuū, nihil in manibus ex illis, q̄ per infidelitatē mortis dicuntur, habuerit: ut neq; sensibus neq; actibus immundū aliquid aut mortuū gerat. Q2 uero post triginta dies iubet eam duci uxorē: ternario nanq; ac denario numero, fides opusq́ significatur. Per fidem ergo trinitatis atq; opus legis, recte sociat̄ quęcunq; anima uero Israëlitæ: corpori scilicet Christi: adhærens illi sine macula synceritate fidei, & actuū puritate. Alij putauerunt hanc mulierem decoram specie, rationabilem aliquam disciplinam significare: quæ sapienter dicta inuenitur apud gentiles. Hanc igitur à nobis repertam, oportet de ea primum auferre & resecare omnem superstitionis eius immunditiam: & sic eam in studio ueritatis assumere. Nihil enim mundum habent disciplinæ gentilium: quia nulla apud infideles sapientia est, cui immunditia aliqua uel superstitio, non sit admixta.

Quid significet securis ligna cædens, manubriumq́ effugiens. Cap. XIX.

ILlud autē quid significet, q dominus per Moysen præcipit dicens, Si quis abierit cū amico suo simpliciter in syluam ad ligna cædenda, & lignū securis fugerit manum, ferrumq́ lapsum de manubrio, amicū eius percusserit & occiderit, hic ad unā suprà dictarū urbiū fugiet & uiuet: ne fortè proximus eius cuius effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur:& apprehēdat eum, & percusserit animā eius?) Ad syluam quippe cū amico imus, quoties ad incidenda subditorū delicta conuertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum delinquētium uitia pia intentiōe resecamus. Sed securis manum fugit, cum sese increpatio plusq̄ necesse est, in asperitatē pertrahit. Ferrumq́ de manubrio prosilit, cum de correptiōe sermo durior excedit. Et amicum percutit & occidit, qui auditorē suum prolata contumelia ab spiritus dilectione interficit. Correpti nanq; mens repente ad odiū prorumpit, si hanc immoderata increpatio plusq̄ debuit, addicit. Sed is qui incaute ligna percutit,& proximū extinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut una earū defensus uiuat: quia si ad pœnitentię lamenta conuersus, in unitate sacramēti sub spe, fide & charitate abscōditur: reus perpetrati homicidij nō tenetur. Quē extincti proximus cum inuenerit nō occidit, quia cū districtus iudex uenerit, qui se nobis per naturæ cōsortium iunxit, ab eo proculdubio culpæ reatū non expetit, quem sub eius uenia, spes, fides, & charitas abscondit.

De polluitone somnij nocturni. Cap. XX.

SI fuerit inter uos homo q nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & nõ reuertetur priusq̃ ad uesperã lauetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra.) Nocturnum quippe est somniũ tẽtatio occulta, p quã tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur: quod tamen corporis opere nõ expletur. Sed somnio nocturno pollutus egredi extra castra præcipitur: qa uidelicet dignũ est, ut qui immũda cogitatione polluitur, indignũ se cunctorũ fideliũ societatibus arbitretur: culpę suæ meritũ ante oculos ponat, & ex bonorũ se existimatione despiciat. Pollutũ ergo extra castra exire, est turpi impugnatione laborantẽ sese ex cõtinentiũ cõparatione despicere. Qui ad uesperum aqua lauatur: cũ defectũ suũ conspiciẽs, ad pœnitentiæ lamenta conuertit, ut fletibus diluat omne quod animũ occulta inquinatiõe accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat: quia deferuescente tentationis ardore, necesse est ut iterũ fiduciam erga societatis bonũ sumat. Post aquã quippe occũbente sole ad castra reuertitur, qui post lamẽta pœnitentiæ, frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparatur: ut iam se a cæteris longe esse non æstimet, qui mundũ se per obitũ intimi ardoris gaudet.

De paxillo in baltheo egredientis ad requisita naturæ. Cap. XXI.

IVbetur præterea Israëlitico populo p Moysen, ut cum egreditur ad requisita naturę, mittat paxillũ in baltheo, & fossa humo abscondat quæ egesta fuerint. Naturæ enim corruptibilis pondere grauatæ mentes nostræ, quædã cogitationũ super-

 flua

flua,quasi uentris grauamina erumpunt:sed portare sub baltheo paxillum debemus, ut uidelicet ad reprehendēdos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulū compūctionis habeamus, q incessanter terrā mētis nostrę pœnitētiæ dolore cōfodiat,& hoc q̄d à nobis fœtidum erūpit,abscōdat.

De quadraginta flagellis delinquentibus adhibendis. Cap. XXII.

Quòd autē pro mensura peccati,quadraginta flagellis delinqueutes argui iussit, iam prædictum est ꝙ per quadragenariū numerū figura significetur huius temporis, in quo ecclesia per quatuor mundi partes diffusa, sub decalogo legis uiuit.Quadragenario ergo numero delinquentes cædimur,si in hoc tempore, pœnitentiæ uerberibus flagellamur. Debet ergo quisque peccator tēporalibus flagellis atteri, quatenus in iudicio purgatus ualeat inueniri:Beatus enim homo qui corripitur à domino . Nulla enim in æternū animaduersio affligere poterit,quos hic pœnitentiæ disciplina percussit.Si enim hic pro peccatis cædimur, illic sine peccato inuenimur.

Enarrationis Isidori in Deuteronomiū,finis.

CAPITVLORVM LIBRI IESV NAVE, ELENCHVS.

De morte Moysi,& principatu Iesu Naue. I
De II. exploratorib.& meretrice Raab. II
De trāsitu arcæ,& de diuisiōe Iordanis. III
De duab⁹ semit sribub⁹,armatis p̄cedētib.Israël.IIII
De XII. lapidibus. V
De circuncisione secunda. VI
De excidio Iericho,& saluatione Raab. VII

De furto Acham. VIII
De constructione altaris. IX
De maledictionibus & benedictionibus. X
De Gabaonitis. XI
De prælio in Gabaon. XII
De extinctis gentibus, & terræ diuisione XIII
De diuisione in duabus semis tribubus, & nouem semis tribubus. XIIII
Q. Leuitæ non acceperunt hæreditatē terræ. XV
Q. habitacula Leuitarum per omnes tribus decernuntur. XVI
Quòd quadragintaduas urbes Leuitæ in possessionem accipiunt. XVII
De Chananæo populo non extincto. XVIII.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in Librum Iesu filij Naue, Enarratio.

De morte Moysi, & principatu Iesu Naue. Cap. I.



POST MORTEM MOYSI LOQVITUR dñs ad Iesum Naue, dicens: Moyses seruus meus mortuus est, surge & transi Iordanē tu & om̄is populus in terram quam ego dabo filijs Israël.) Defunctus est ergo Moyses, defuncta est lex, & legalia præcepta iā cessant: & obtinet IESVS, id est saluator CHRISTVS filius dei, principatum. Introducit populum in terram, de qua dicit dominus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.



De duobus exploratoribus, & meretrice Raab. Cap. II.

ISte Iesus mittit duos exploratores ad Iericho urbem, qui suscipiuntur à Raab meretrice. Iesus ille dux populi, in semetipso dominũ Christum & uocabulo ostendit & facto. Iericho autẽ ciuitas, mundus est, ad quẽ dominus Christus ad perscrutandos mores hominum, duo testamenta direxit. Nam in eo ut credentiũ fidẽ aut rebellium peruicaciam plenius cõprobaret, ante aduentũ iudicij sui, quasi exploratores duos, legẽ & euangeliũ destinauit. Raab uero typũ tenet ecclesię, quę de extraneis atq; alienis gentibus congregata est, quæ antea uiuens in desiderijs carnis, fornicabatur in idolis. De talibus ait dominus: q; præcedẽt uos meretrices & publicani in regno cœlorũ. Hæc igitur testamenta domini sola suscipit, & eadẽ fideliter cõseruat. Amicis om̃ino nõ tradidit, ipsa potius periclitari optãs: dum modo illæsa ac salua seruaret. Hæc casurũ mũdum, sicut illa ciuitatem firmiter credidit. Hæc pro se ac suorũ omnium salute pactum cum testamentis domini fecit. Hæc in domo sua coccũ, id est signũ sanguinis posuit. Extra hanc si quis inuentus fuerit, ruinam seculi atq; incendium mundi, nulla ratione uitabit.

De trãsitu arcæ, & de diuisiõe Iordanis. Ca. III.

POpulus cum arca testamenti Iordanẽ trãsiuit. Sed quid sibi uelit q; in Iordane eadẽ arca testamenti trãseunte, per sacerdotes & Leuitas deducitur turba: sicq; stante aqua fluminis in cumulũ, dei populus iter incedit innoxiũ. Hæc omnia implentur in ecclesiæ populis mystica operatione. Dũ

ẽnim

enim quis ad baptismi uenerit fontē, & consistente sacerdotali & Leuitico ordine initiatus fuerit mysticis sacramentis, tunc sacerdotū ministerijs per baptismū, quasi per Iordanis fluenta ingredit, & terrā cœlestis promissionis adipiscit. Quod uero pars aquarum fluminis retrò resiliuit perseuerans in dulcedine, pars uero in amaro cōfluxit gurgite maris, hæc figura baptizatorū uarietatē designat: quia omnes qui baptizantur, partim quidā ex ipsis acceptā gratiæ cœlestis dulcedinē custodiunt: partim uero in peccatorū amaritudinē cōuertunt. Quòd uero sacerdotalis ordo & Leuiticus iter ostendit populo dei, magisteriū sacerdotale monstrat. Ipsi enim docent populū exire de Aegypto. i. de erroribus mundi, & trāsire p eremū uastā. i. p seculi tētatiōes. Quòd uero sacerdotalis & Leuitic⁹ ordo assistit arcæ testamēti in q lex portat, sine dubio ut ipsi illuminēt populū.

De duabus semis tribubus, armatis præcedentibus Israël. Cap. IIII.

INterea duæ semis tribus quæ trans Iordanem à Moyse acceperunt terrā, relictis mulieribus & infantibus, cum fratribus transeuntes, præbebant illis pugnādi auxiliū, usq; quo & ipsi consequerētur hæreditatē. Isti qui per Moysen accipiunt hæreditatem trans Iordanē, & cum fratribus suis armati ac præcincti incedunt, illi hoc loco intelliguntur, qui primū per Moysen hæreditate legis potiti sunt: Vnde & primogeniti sunt omnes. Ruben quippe primogenitus ex Iacob & Lia: Gad primogenitus est eiusdē de Zelpha: Manasses primogenit⁹ est Ioseph de Aegyptia, filia sacerdotis Putifaris. In his ergo primogenitis, figuraliter illi ex priori populo designā

tur,qui per legẽ placuerunt deo:quiq; non requiescunt,sed expediti ad auxiliũ fratrũ suorũ cõsurgũt. Laborãtibus enim nobis in agone uitæ huius, atq; habentibus certamen aduersus contrarias potestates,ueniunt in auxiliũ nobis illi, qui ante aduentum Christi per legẽ iustificati sunt. Videmus enim Esaiã, Hieremiã,accinctos expeditosq; ad auxiliũ nostrũ, de uoluminũ suorũ iaculis,cordis nostri hostes acerrimos uulnerantes. Accingitur & Daniel ad auxiliũ nostrũ, cum nos de Christi regno & Antichristi futuri fraude,instruit ac præmõet. Adest & Ezechiel, sacramenta nobis cœlestia in quadriformibus rotarum circulis signans. Docet & Osee bissenas agminis turmas: & præcedunt nos succinctis lumbis in ueritate,quia prædicant ad auxiliũ nostrũ. Isti ergo uiri fortes pugnant nobiscum, quousq; cœlestis repromissionis patriam consequamur.

De duodecim lapidibus. Cap. V.

TRansceuntes itaq; filij Israël Iordanẽ, sustulerũt de medio fluminis duodecim lapides, quos pro testimonio posuerunt in loco secũdæ circũcisionis:ad significãdũ nobis, ut de lauacro cõsurgimus,apostolicæ uitæ exempla firmissima gestare debeamus, quorum semper testimonium ad imitamenta uirtutum constituamus.

De circuncisione secunda. Cap. VI.

POst Iordanis autẽ transitũ,uenit Iesus in Galgala, ibiq; iubetur facere sibi cultros lapideos, & circuncidere secundo filios Israël. Percũctentur inde Iudæi,quomodo potest quis secundo circuncidi circuncisione carnali. Semel enim circuncisus,ultra non habet quod secundo possit auferri. A nobis

autem

autem quibus lex spiritualis est, conuenienter ista soluuntur. Dicimus enim circuncisionē primā fuisse per legē in Aegypto, sed si à lege trāseat quis per baptisma Iordanis ad euangelium, tunc accipit secundam circuncisionem spiritualē per petram, qui est Christus:sicq; tali circuncisione purgatus, caret Aegypti opprobrio: id est illecebra corporaliū uitiorꝝ. Nomen autē loci Galgala, quod interpretatur reuelatio, ostendit, dū in præputio infidelitatis ambulauerit quisq; per huius uitę desertū, oculos ei esse cæcatos. Videamus & consequētia. Post euangelij circuncisionē, statim in loco reuelatiōis pascha celebratur:immolaturq; agnus ille pro mundi salute occisus:ac deficiente manna typicæ legis, primū comedit populus panē corporis Christi: quē incorrupta repromissionis terra, id est mater dñi uirgo Maria protulit:cuius granū in terra cadēs, fructum plurimū attulit. Et uide ordinē: Postq̄ enim sub Iesu Christo duce positi, per lauacri fluenta trāsimus, ac per fidē spirituali circūcisione signamur, tūc his gradibus peruenïētes celebramus pascha. i. immolatū Christū pro mundi salute credimus, ac deinde credētes, statim pane illo dñici corporis pascimur. Occurrit deinde nobis princeps militiæ uirtutū cœlestiū Christus, tenēs gladiū euangelij ad resecādam nostræ carnis pollutionē. Percūctatio aūt Iosue dicētis ad angelū, Noster es an aduersariorꝝ?) discretionē sanctorꝝ insinuat, qui inter bonū & malū per discretionē dījudicāt, ne eos aduersarius per speciē boni fallat. Vnde & Hieremiæ dicit: Si separaueris pretiosum à uili, quasi os meum eris.

De excidio Iericho & saluatiōe Raab. Ca. VII.

Circundatur post hæc Iericho expugnaturq́ꝫ: aduersus quam gladius non educitur, aries non dirigitur, nec tela uibrantur: tubæ solūmodo sacerdotales septē diebus continuis adhibentur: sicq́ꝫ circumacta arca, muri Iericho subruūtur. Iericho autē per interpretationē luna dicitur. Luna uero mundi huius speciē tenet: quia sicut luna mēstruis cōpletionibus deficit, ita hic mundus ad cōpletionē tēpoꝝ currēs, q̄tidianis defectibus cadit. In arca uero, ecclesia figuratur. In tubis autē æreis, prædicatores fortes accipiuntur. Hanc ergo urbem Iericho diebus septē ferētes arcā Israëlitæ, æneis tubis clangentibus circumeunt, & muri eius per arcæ præsentiā atq́ꝫ æreaꝝ tubaꝝ sonitū cadunt: quia in hoc tēpore quod septē dieꝝ uicissitudine uoluitur, dū fertur arca, id est, dū orbē terraꝝ circūiens mouetur ecclesia ad prædicantiū uoces, quasi ad tubarum sonitū, muri Iericho, id est elati mūdi superbia ac infidelitatis obstacula corruunt: donec in fine tēporum mors nouissima inimica destruatur: & ex impiorum perditione, unica domus Raab, tanquā unica ecclesia liberetur: munda à turpitudine fornicationis per fenestram confessionis in sanguine remissionis. Ista enim meretrix in Iericho tanq̄ in hoc mortali seculo moratur: quæ ut saluari possit, per fenestram domus suę tanq̄ per os corporis sui coccū mittit, qui est sanguinis CHRISTI signū pro remissione peccatorum confiteri ad salutem. Qui inuenti sunt in domo illius, saluati sunt ab interitu urbis: Et quicunq́ꝫ intra ecclesiam reperiuntur, ipsi tantum saluantur. Extra hanc autem domum, id est est ecclesiam, nemo saluatur.

De furto

De furto Acham. Ca. VIII.

FVratur interea de anathemate urbis Achã, & pallium & regulam auream: pro quo irascente deo perierunt quidam manu hostili ex populo. Iericho itaq; ut dictum est, mundi gerit figurã. De anathemate ergo eius fraudãs in tabernaculo suo abscondit, qui seculares mores in secretis ecclesiæ inserit: qui sub cultu dei manens, solẽnitates seculi uel spectacula diligit: qui sortilegos, aruspices, & augures inquirit: uel qui cæteros ritus psuadet, qui prius in Iericho.i.in hoc seculo habebant. Iste ergo quia post fidei indumẽtum, conuersationis secularis cultum inducit, quasi pallium de anathemate tollit. Sed ille de anathemate Iericho fraudat, qui in ecclesia hæreticorũ infert dogmata, uel superstitiosa secularium literarũ studia. Hęc enim regula aurea, luculento sermoni aptata est. Hãc fraudati sunt Arrius, Marcion, et Basilides: furati sunt eñ isti regulas aureas de Iericho, & philosophorũ sectã nõ rectã in ecclesia conati sunt introducere, & maculare omnem ecclesiam dñi, ita ut alij perderent multi per eos: ideo q; abiecti pro anathemate quasi aceruo lapidũ, ita multitudine peccatorũ suorũ oppressi atq; extincti sunt, quorũ author ac perẽptor Acham ex Hai, hoc est diabolus, qui per illorũ impietatẽ fidelium quosdam euicerat, rursum superatus euincitur, atq; à populo dei suspensus, ligni crucis uirtute necatur.

De constructione altaris. Ca. IX.

SVperatis igitur hostibus, ędificauit Iesus altare deo excelso ex lapidibus integris, in quibus non erat iniectũ ferrũ, sicut præceperat Moy-

ses, & immolauit sacrificiũ, & scripsit in lapidibus Deuteronomium legis Moysi. Videamus itaq; qui sint isti lapides, ex quibus ædificatur altare. Omnes igitur qui in Christũ Iesum credunt, lapides uiui dicuntur, de quibus Ap̃ls ait: Vos estis lapides uiui ędificati, domus spũales. His nõ est iniectũ ferrũ, quia incorrupti & immaculati carne & spũ sunt, & iacula maligni ignita non receperunt. Hi unũ altare faciunt, unitate fidei uel cõcordia charitatis. In his quoq; Deuteronomium, id est, secundam legẽ euangelij, IESVS dominus noster scribit. Audiamus itaq; eum dicentem: Dictum est antiquis, Non mœchaberis: Ego aũt dico uobis, Si quis uiderit mulierem ad cõcupiscẽdum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Hanc igitur Iesus legẽ notam in cordibus credẽtium, hanc scribit in eorum mentibus, qui altaris constructione digni sunt.

De maledictionibus & benedictionib. Ca. X.

POst hæc omnis populus & maiores natu, ducesq; ac iudices præcedebant hinc & inde arcã, steterũtq; sicut præceperat Moyses in Deuteronomio, sex tribus in monte Garizim, ut bñdicerẽt populum, & ipsæ tribus quę nobiliores sunt, id est Symeon, Leui, Iudas, Isachar, Ioseph, & Beniamin: aliæ uero sex ignobiliores steterunt e regione in mõte Gebal ut maledicerẽt: inter quos & Ruben, qui maculauerat thorum parẽtis, & Zabulon ultimus filius Liæ & ancillarum filij: & hæc quidẽ ueteris historiæ referũt gesta. Sed inspiciẽdũ q̃d in narrationẽ mysticæ intelligẽtię referat. Qui sunt ergo isti qui incedũt iuxta montẽ Garizim, & qui sũt qui incedũt iuxta montẽ Gebal? Illi itaq; qui in hoc

loco iuxta montē Garizim incedūt, electos ad bñdictionē eos figuraliter indicant, qui nō metu pœnæ, sed cœlestis promissionis amore succēsi ueniūt ad salutē. Illi uero dimidij qui iuxta montē Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatæ sunt, illos indicant, qui non amore bñdictionum uel promissionum, sed futurorum suppliciorum timore complent quæ in lege scripta sunt, ut perueniāt ad salutē. Omnes aūt circa arcā incedunt, qui de ecclesiæ sinu non discedūt. Sed nobiliores esse illos qui boni ipsius desiderio, æternæ bñdictionis amore q̃d bonum est agūt, q̃ illos qui pro mali metu bonum sectantur. Solus ergo IESVS potest ex omnibus populis huius mūdi mētes aĩosq; condiscere, & alios quidem statuere in mōte Gebal ad maledictionē, non ut maledictiones accipiant, sed ut intuēdas p̃scriptas maledictiones & pœnas pctōribus constitutas, incurrere caueāt, ac semetipsos timoris supplicio corrigant.

De Gabaonitis. Ca. XI.

INterea Gabaonitę perditionis metu pterriti, cū fraude & calliditate uenerunt ad Iesum, pānis calceamentisq; ueteribus induti, deprecātes ut saluarent, statimq; ab Iesu salutem suscipiunt. Quorum tamen dolum ut agnouit, ligni cæsores, uel aquæ gestatores eos constituit. In quorum figura illi ostenduntur, qui de mundo ad ecclesiam uenientes, habent fidem in deo, & inclinant caput suum sacerdotibus, sanctis quoque ministrāt & seruiunt, & aliquid utilitatis impēdunt, ad ornatum etiam ecclesiæ uel ministerium prōpti sunt. In moribus uero suis & conuersatione pristina detinent: indu-

induentes ueterem hominem cum actibus suis, & inuoluti uetustis uitijs, sicut & isti pannis & calceamẽtis ueteribus obtecti, & præter hoc quod quidã in deum credunt, & erga seruos dei uel ecclesię cultibus uidentur esse deuoluti, nihil habent emendationis uel innouationis in moribus. Tales igitur tãtũmodo quasi quoddam salutis signum intra ecclesiam temporaliter perferunt: inter Israelitas aũt, id est, inter sanctos dei, regnum æternum uel libertatem minime consequuntur.

De prælio in Gabaon. Ca. XII.

Quòd autem in Gabaon pugnante Iesu Naue stetisse perhibetur sol & luna, donec Israelis inimici delerentur, dicẽte scriptura: Stetit inquit, sol super Gabaon, & luna super uallẽ Elam: & adiecit scriptura & dicit: qa nunq̃ sic audiuit deus hominẽ. IESVS ergo noster solẽ stare facit, non tunc solum, sed multo magis modo in aduẽtu suo, dum nos bellum gerimus aduersus uitiorũ gentes, & colluctamur aduersus prĩcipes & potestates & rectores harũ tenebrarũ, aduersus spũalia nequitiæ in cœlestibus, sol nobis iustitiæ indesinẽter assistit, nec deserit nos unq̃, nec festinat occumbere: quia ipse dixit: Ecce ego uobiscũ sum omĩbus diebus usq; ad cõsummationẽ seculi. Quin q; aũt reges, qn q; sensus corporeos indicant, qui Gabaonitas .i. carnales homines expugnant. Hi ad speluncã confugiũt, cum se terrenis actibus in corpore positi mergunt. Qui tamen pugnante Iesu .i. prædicatione euangelica superãt: atq; ingrediente uerbo dei in nobis, id est, intra speluncã corporis nostri, omẽs pariter interficiuntur.

De

De extinctis gentibus, & terræ diuisione.
Caput XIII.

Extinctis deinde uel eiectis gẽtibus, Iosue sorte diuisit populis terram repromissionis. Eiecit ergo & Christus à facie fideliũ suorum quodãmodo gentes, gẽtilium errore malignos spũs, & sorte diuisit terram in nobis, omnia operans in nobis unus atq; idẽ spũs, ac diuidens dona propria unicuiq; prout uult.

De diuisione in duabus semis tribubus, & nouem semis tribubus. Ca. XIIII.

Refertur aũt in his diuinis eloquijs prima & secunda hęreditatis facta diuisio: prima quidem per Moysen: secunda uero quæ fortior est, per Iesum. Sed Moyses trans Iordanem duabus tantum tribubus, Ruben scilicet & Gad, & dimidię tribui Manasse, possessionẽ decreuit: cæteræ uero omnes, per Iesum suscipiunt. Per quod indicatur, q̃ plures per fidem Iesu Christi promissa cœlestia essent percepturi, q̃ qui per legem adepti sunt. Nam duæ illæ semis tribus, proculdubio priorem populum adumbrabant. Sed ideo duæ semis dicunt̃, q̃a hi q̃ in lege agebantur, contigerunt quidem agnitionem trinitatis, sed perfectã scientiã non habuerunt: sicut & Ecclesiasticus liber loquit̃ dicens: Qui non perfecit primos scire sapientiã, & infirmior nõ inuestigauit illam. Hic aũt nouẽ semis tribus, quæ per Iesum repromissionem terræ sanctæ suscipiũt, ut prędictum est, figuram noui populi tenuerunt, quia à domino nostro per fidem & gratiam, æternæ repromissionis hæreditatem, post lauacrũ, quasi post Iordanis transitum susceperunt: sed proin-

de

de & ipsæ nouē semis tribus dicuntur, quæ sub Iesu hæreditate potiuntur, & non integre decē, qui numerus cōsummatus dicitur & perfectus, qa nec in ipso aduentu dñi uel incarnatione eius, cuncta no bis per semetipm pfecte annuntiata sunt. Vnde & ipse dicit discipulis: Multa q̄ uobis loqr habeo adhuc, sed nō potestis illa mō audire. Veniet aūt spūs ueritatis, q à prē pcedit, ille de meo accipiet, & annūtiabit uobis oīa. Perfectio itaq; ad summā cūctorū bonorꝝ in spūsancto cōsistit: alioqui nihil in eo pfectum putabit, cui spūssanctus deest.

Quòd Leuitæ non acceperūt hæreditatē terræ. Ca. XII.

Quòd uero Leuitæ non acceperunt hæreditatem terræ, utiq; quia Iesus dñs noster, ipse est hæreditas eorꝝ, sicut scriptū est: Ego hereditas eorꝝ, & possessio nō dabit illis ī Israël, ego eñ sum possessio eorꝝ.) Clericorꝝ eñ hęreditatē & possessionē, ob hoc se dici uoluit deus, qa ministri altaris ipsius effecti sunt & sors. Propter quod & clerus sors interpretat. Ergo deū hęreditatē merito deum possidet, q ut absq; ullo impedimēto deseruire deo ualeat, pauper spū esse cōtēdit, ut cōgrue illud psalmistæ dicere possit: Dñs pars hęreditatis meę, & calicis mei.

Quòd habitacula Leuitarꝝ per oēs tribus decernunt. Ca. XIII.

Quòd ṽo habitacula Leuitis ab Iesu per oēs tribus decernunt, significat, ut hi q in ecclesia dei sciētiæ operā dātes, doctrinę grām administrant, rursus ab oībus, qb⁹ dispēsant diuina, terrena subsidia quæ nō habēt, recipiāt: ut impleat illud q̄d Apl's præcipit dicens: *Si nos uobis spūalia*

feminauimus, magnum est ut carnalia uestra mete mus? Et merito isti in cunctis tribubus diuisi dicuntur, qui in dispensatiōe cunctorum uiuunt.

Quòd quadragintaduas urbes Leuitæ in possessionem accipiunt. Ca. XIIII.

Quòd aūt quadragintaduas urbes accipiūt, indubitāter ipsa prædicatio sctōrum signat. Ipsi em̄ possidēt doctrinā quæ cōstat legis decalogo, & quadrifido euāgelij nūero, q̄si quater denas urbes habētes, qb⁹ etiā duę adijciunt: qa nimirum cūcta q̄ p̄dicāt, morali ac mystico sensu annūciāt.

De Chananæo populo non extincto. Ca. XV.

Illud aūt q̄ cū Israëlico populo percepta repromissionis terra partiret, Effraim tamen tribui, Chananæus omnis gētilis ppl's nō occisus, sed factus tributarius dicit, sicut scriptū est in Iudicū libro: Habitauit Chananęus in medio Effraim tributarius. Quid em̄ tributarius, quid em̄ Chananæus gētilis uidelicet populus, nisi uitiū signat? Sæpe em̄ in magnis uirtutibus terrā repromissionis ingredimur, quia spe intima de ęternitate roboramur. Sed dū interēptis sublimibus uitijs, quædā tn̄ parua retinemus, quasi Chananæū uiuere in terra nostra concedimus, qui tn̄ tributarius efficit, quia hoc ipsum uitiū q̄d subigere non possumus, ad usum nr̄æ humilitatis humiliter retorq̄mus, ut eo de se mēs & in suis uilia sentiat, q̄d suis uirib⁹ etiā parua q̄ appetit, nō expugnat. Vnde bn̄ rursum scriptū ē: Hę sunt gētes q̄s dn̄s dereliq̄t, ut erudiret i eis Israelē.) Ad hoc nanq; quædā minima uitia nostra retinent, ut se nostra intētio solicita in certamie sp exerceat, & eo de uictoria nō supbiat, q̄ uiuere in se hostes cōspicit,

à quibus

à quibus adhuc uinci formidat. Israel ergo reseruatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis uitijs elatio uirtutis nostræ comprimitur, & in paruis sibi resistentibus discit, quod ex se maiora non subijcit.

Enarrationis Isidori in Iesum Naue finis.

CAPITVLORVM libri Iudicũ elenchus.

De seruitute populi & liberatione.	I
De Debbora & Iahel.	II
De oraculo angeli ad Gedeon, & sacrificio eius.	III
De mysterio uelleris & areæ.	IIII
De prælio Gedeon cum trecentis.	V
De Abimelech.	VI
De Iepte & filia eius.	VII
De Samson & actibus eius.	VIII
De Ruth Moabitide.	IX

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI IN LIBRVM Iudicum Enarratio.

De seruitute populi, & liberatione. Caput I.



ISTORIA IVDICVM NON parua mysteriorum indicat sacramenta: primum quod post Iosue succedunt iudices, sicut & post Christum successerunt apostoli, & ecclesiarum rectores ad gubernan-

dos fideles,quos ipse ad spem æternæ repromissionis pducit. Per oĩa aũt in hoc uolumine delicta Iudaici populi & seruitutes, clamor quoq; eorũ & miserationes dei describunt. Nam & multis annis pro suis offensis,multorũ regũ imperijs seruierãt, & iterũ cõuersi liberati sunt. Sed qd est q̃ sæpe peccãtes, in manu hostili tradunt,nisi q̃ nostra pctã qñ delinquimus,uires hostibus prębẽt: & qñ nos facim⁹ malũ in cõspectu dñi,tũc confortant aduersarij nostri.i.dæmones,spũaliũ nequitiarũ uirtutes? Sed iterũ qñ conuertimur,suscitat deus saluatores & iudices,hoc ẽ,principes seculi & doctores,quos ad subsidiũ mittit eorũ, q ad se toto corde clamauerint: sicut misit Gothoniel,qui expugnauit Chusan Rasathaim regẽ Mesopotamiæ:sicut misit Aoth,q occidit Eglon regẽ Moab:sicut misit Iahel & Debborã, quę interfecerũt Sisarã:quorũ historia pro suis mysterijs breuiter memoranda est.

De Debbora & Iahel. Cap. II.

Debbora enim prophetissa uxor Laphidoth, iudicabat pplm in illo tpe,et sedebat subpalma interRama & Bethel in monte Effraim: ascẽdebãtq; ad eã filij Israel in oẽ iudiciũ. Debbora q̃ interpretaẽ apis siue loquela, in prophetiæ forma accipiẽda ẽ,de qua scribiẽ:Quã dulcia faucibus meis eloquia tua. Consideremus ubi locus prophetissæ esse describiẽ: sub palma inqt. Sub palma sedere habet pphetissa,qa q̃s suis institutiõibus erudit,ad palmã supernæ uocationis adducit. Inter medium aũt Rama, & inter mediũ Bethel sedere diciẽ pphetissa. Rama interpretaẽ excelsa: Bethel autẽ domus dei: utiq; quia nos intra domũ dei positos, non quę

q in

in terra sunt quęrẽdo, sed quæ in cœlis sunt. Hęc mi sit & uocauit ad se Barach. Barach interpretat̃ coru scatio. Coruscatio ẽ quę habet quidẽ lucẽ, sed nõ p̃manentẽ. Ad modicũ em̃ tp̃is resplendet & desinit. Hic ergo Barach formã gerit prioris populi, qui pri mo oĩm per prophetiã uocatus & inuitatus ad au diẽda eloq̃a dei, refulsit quidẽ in legis splendore, & breui tp̃e coruscauit, sed nõ diu p̃mãsit. Cũ ergo di xisset Debbora ad Barach. i. ꝓpheria ad priorẽ po pulum, Tibi pręcepit dñs deus Israel: & tu ascẽde in mõte Thabor, & accipe decẽ milia uiroꝝ. R̃ndit Ba rach ex p̃sona prioris populi ad prophetissam: Nõ ascẽdã nisi & tu ascẽderis mecũ. Dicit ad eũ Debbo ra: Ibo tecũ: sed nõ erit primatus tuus in uia qua in cedis, sed in manu mulieris tradet dñs Sisarã: euidẽ ter oñdens, q̃a nõ ẽ apud illũ populũ primatus, nec p̃manet apđ eũ uictoriæ palma, sed apud Iahel mu lierẽ. i. ecclesiã. Nã Iahel mulier ista alienigena, in cu ius manu uictoria facta ẽ, figurã tenet ecclesiæ ex gẽtibus cõgregatę. Iahel em̃ interpretat̃ ascẽsio, q̃a p̃ ecclesiã ascẽdit̃ ad cœlũ. Ista palo Sisarã hostẽ in terfecit. i. ligni crucis acumine & uirtute, diabolũ in teremit, q̃d Barach. i. prior popul⁹ p̃ legis pręcepta facere nõ potuit. Sola em̃ p̃ lignũ in q̃ sp̃ũalibus sa cramẽtis credẽtiũ salus ẽ, fidei hostẽ affligit: quẽ de inde mortuũ pellibus obtegit. i. inclusũ in carnaliũ cordibus, derelinquit. Nõ em̃ latent mortifera ipsi us nisi in corruptibilitate uitæ uiuẽtib. & pc̃tã mor talia perpetrãtibus: qui dũ praue uiuẽtes segregan tur à corpore Christi, efficiuntur membra diaboli.

De oraculo angeli ad Gedeon, & sacrifi cio eius. Ca. III.

TRaditur deinde populus Israel in manu Madian, pro cuius liberatiõe loqtur angelus dñi ad Gedeon: cuius gesta qd mystice significẽt demõstrandũ est. Gedeon nãq; cũ sub arbore quercu, tritici messem uirga cæderet, & à paleis frumẽta excuteret, angelũ uidit: accipiens ab eo oraculũ, ut à ptãte hostiũ ĩ libertatẽ pplm dei reduceret. Iste Gedeõ nimirũ figurã gestabat Christi, q sub umbra sacræ crucis prędestinato incarnatiõis futuræ mysterio constitutus, rectitudine iudicij quasi p uirgã electiõis, sctõs à uitiorũ paleis sequestrabat. Hic ergo Gedeõ cũ audisset ab angelo, q deficiẽtibus populorũ milibus, in uno uiro dñs plebẽ suã ab hostibus liberaret, protinus hœdũ coxit, cuius carnes secundũ præceptũ angeli simul cũ azyma sup petrã posuit, & ius carniũ desup effudit: q̃ dũ angelus uirgę cacumine cõtigit, statim de petra ignis erupit, atq; sacrificiũ q̃d offerebatẽ absumptũ est. Quo indicio uidetẽ declarari, q petra illa typũ habuerit corporis Christi, Paulo atteſtãte, Petra aũt erat Chrũs. Iã tũc igiẽ in mysterio declaratũ est, qa dñs Iesus in carne sua, toti⁹ mũdi pctã crucifixus aboleret: nec solũ delicta factorũ, sed etiam cupiditates purgaret animarum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut scriptũ est: Quia concupiuit populus cupiditatẽ pessimam, & dixerũt: Quis nos cibabit carne? Quòd igiẽ extendit angelus uirgã, & tetigit petrã, de qua ignis exiuit, ostẽdit q caro domini spũ repleta diuino, pctã oĩa humanæ conditionis exureret. Vnde dominus ait: Ignem ueni mittere in terrã. Aduertit igitur uir doctus & præsagus futurorũ supna mysteria: & ideo

secundum oracula occidit uitulum à patre suo idolis deputatum, & ipse septennē alium uitulum immolauit deo: quo facto manifestissime reuelauit, post aduentū domini omnia gentilitatis abolenda esse sacrificia, solumq́ sacrificiū deo dominicæ passioni spro redemptione nostra & religione populi deferendū. Etem̄ uitulus ille erat in typo Christi, in quē septiformis spūalium plenitudo uirtutū, sicut Isaias dixit, inhabitabat.

De mysterio uelleris & areæ. Ca. IIII.

Reuidit ergo mysteriū uictorię Gedeon, & tū licet fortis & fidus, pleniora adhuc de dn̄o futuræ uictoriæ documēta quęrebat, ut una nocte lanæ uellus in area poneret, & esset super illud tm̄ ros, & super omnem terrā siccitas: & rursum similiter poneret uellus, & super totā terrā ros plueret, & siccitas esset in uellere. Quærit fortasse aliqs utrū quasi incredulus esse uideat, qui frequentibus iā fuerat indicijs informatus: Absit. Nō em̄ ille ambigu⁹ erat, sed nimirꝫ futura mysteria pręuidebat, quæ etiā prouidus diligētissime explorabat, ut amplius crederet mysteria, dum intellexisset oraculū. Quid ergo uellus cōplutum & area sicca, & postea cōpluta area sicco uellere, nisi qꝫ primo una gēs Hebræorꝫ habuit gratiæ mysteriū, totus orbis nūc habet: illa uacua ē? Area em̄ illa totū orbē terrarꝫ significat: qn̄ totus orbis infructuoso cultu gentilis superstitionis laborabat. In uellere cōpluto, significatæ sunt oues quę saluæ factę sunt domus Israel. Postea oues illæ fontē aquæ uiuæ negauerūt: ros fidei exaruit in pectorib⁹ Iudæorꝫ, gratiāq́ suā imber ille diuinus in corda gentiū deriuauit. Inde ē, qꝫ nūc fidei

rore

rore totus orbis humescit. Iudæi uero prophetas & omnia charismata amiserunt. Nec mirū si perfidiæ subeāt siccitatē, quos dñs prophetici imbris hubertate priuauit dicens: Mandabo nubibus desuper, ne pluant super eam pluuiam. Idcirco aūt illam gentē uelleris nomine significauit, quia in obauditu eandem pluuiam detinebat, quam nolebat sibi prępositæ prædicari.i.incircūcisis gentibus reuelari.

De prælio Gedeon cum trecentis. Ca. V.

POst hanc diligentissimam mysterij explorationē, contra Madianitas Gedeon dimicare cū tenderet, & exercitus multitudine ad bella ꝓcederet, diuina illi admonitione pręceptū est, ut ad fluuium ueniēs, oēs quos flexis genibus aquas haurire cōspiceret, à bellorū cōflictu remoueret. Actūq; est, ut trecenti uiri tantummodo, qui stantes manibus aquas hauserant, remanerent. Cum his Gedeon ad prælium pergit, eosq; non armis, sed tubis lāpadibusq; & lagenis armauit. Nam sicut illic scriptum est:) Accensas lāpades miserunt intra laguunculas, & tubas in dextera, lagenas aūt in sinistra tenuerunt, & ad hostes suos cominus uenientes, ceciderunt tubis, confregerunt lagunculas, lampades apparuerunt, & hinc tubarum sonitu, illinc lampadarū coruscatione territi hostes, in fugam conuersi sunt.) Quid est hoc quod tale bellū per prophetā ad mediū deducitur? Indagari nobis propheta studuit, ꝗ in aduentu redemptoris nostri cōtra diabolum illa sub Gedeon duce pugna, uictoriā designauit. Talia illic nimirū acta sunt, quæ quanto magis usum pugnandi transeūt, tanto amplius à prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim unquam

cum lagenis, cum lampadibus ad prælium uenit? quis contra arma ueniens, arma deseruit? Ridicula aũt nobis prophetata fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed uictoria ista atteståte didicimus, ne parua quæ facta sunt perpēdamus. Gedeon ita ꝙ ad prælium ueniens, redemptoris nostri signat aduentum, de quo scriptum est: Tollite portas principes uestras, usq; potens in prælio. Hunc redemptorem nostrum nõ solum opere, sed etiam nomine prophetauit. Gedeon nanq; interpretatur circũiens in utero. Dominus enim noster pro maiestatis potentia, omnia circũflectit, & tamē ꝑ dispensationis gratiã intra uteꝝ fuit pro infirmitatis substãtia, & extra mundũ per potētiam maiestatis. Madian uero interpretatẽ de iudicio. Vt em̃ hostes eius repellēdi destruēdiq; essent, nõ de uitio repellētis, sed de iudicio iuste iudicãtis fuit. Et idcirco de iudicio uocantur, quia alieni à gratia redemptoris, iustæ damnationis meritum etiam in uocabulum nominis trahunt. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in tricenario numero, plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per prædictum tricenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio trinitatis? Cum his quippe dominus noster aduersarios fidei destruet, cũ his ad pędicatiõis bella descēdet, qui possunt diuina cognoscere, qui sciunt de trinitate, quæ deus est, perfecte sentire. Notãdum uero est, quia iste trecētoꝝ numerus in T litera continetur, quę crucis speciē tenet. Cui si super transuersam lineã id q̃d in cruce eminet adderet̃, nõ iã crucis species, sed ipsa crux eẽt. Quia ergo iste trecentoꝝ numerus in T litera continet̃, & per T literã

sicũt

ſicut diximus, ſpecies crucis oſtendit, non immeri-
to in his trecentis Gedeonē ſequētibus illi deſigna
ti ſunt, quibus dictū eſt: Si quis uult poſt me uenire
abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſe-
quatur me. Qui ſequentes dominum tanto uerius
crucem tollunt, quanto acrius ſeſe edomant, & er-
ga proximos ſuos charitatis cōpaſſione cruciant.
Vnde & per Ezechielē prophetā dicit: Signa T ſup
frontes uirorꝫ gementium & dolētium. Vt certe in
his trecentis, qui in T litera continentur, hoc expri-
mitur, ꝙ ferrum hoſtium crucis ligno ſuperet. Du
cti ita ꝙ ſunt ad fluuium ut aquas biberent, & qui-
cunqꝫ aquas flexis genibus hauſerūt, à bellica inter-
dictione remoti ſunt. Aquæ nanqꝫ, doctrina ſapien
tiæ. Stāti aūt genu, recta operatio deſignat. Qui er
go dum aquas bibunt, genua flexiſſe perhibentur,
& ab illorum certamine prohibiti receſſerunt, hi
ſunt, qui doctrinam cum operibus rectis non hau
riunt. Qui uero doctrinæ fluēta ita hauriunt, ut ne-
quaquam in prauis operibus carnaliter inflectant,
hi Chriſto duce cōtra hoſtes fidei ad prǣliū pergūt.
Vadūt ergo cū tubis, cū lāpadibus, cū lagenis: atqꝫ
iſte ut diximus, fuit ordo præliādi. Cecinerūt tubis,
intra lagenas autem ſunt miſſǣ lāpades, confractis
uero lagenis, lampades oſtenſæ ſunt: quarꝫ coruſcā
te luce, hoſtes territi in fugam uertuntur. Deſignat
itaqꝫ in tubis clamor prædicantiū, in lāpadibus cla
ritas miraculorꝫ, in lagenis fragilitas corporū. Ta-
les quippe ſecū dux noſter ad prædicationis prǣliū
duxit, qui deſpecta ſalute corporꝫ, hoſtes ſuos mo-
riendo proſternerēt, eorūqꝫ gladios nō armis ſed pa
tientia ſuperarēt. Armati enim uenerunt ſub duce

ſuo ad prælium martyres noſtri,ſed tubis, ſed lage nis,ſed lampadibus.Qui ſonuerunt tubis dū prędicāt:cōfregerūt lagenas,dū ſoluēda in paſſione ſua corpora hoſtibus, gladijs opponūt: reſplenduerūt lāpadibus,dū poſt ſolutionē corpoꝝ miraculis coruſcarunt.Moxq́ꝫ hoſtes in fugā uerſi ſunt: quia dū mortuorum martyrum corpora miraculis coruſcare conſpiciunt, luce ueritatis fracti, quod impugnauerunt,crediderunt.Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur. Lagenæ fractæ ſunt,ut lampades apparerent. Apparuerunt lampades, ut hoſtes in fugam uerterent,id eſt,prædicauerunt martyres,donec eorum corpora in morte ſoluerentur. Corpora eorum in morte ſoluta ſunt, ut miraculis coruſcarent. Coruſcauerunt miraculis,ut hoſtes ſuos ex diuina luce proſternerent. Et notandum, ꝙ ſteterunt hoſtes ante lagenas, fugerunt ante lampades,quia nimirum perſecutores ſanctę fidei,prędicatoribus adhuc in corpore poſitis reſtiterunt: poſt ſolutionem uero corporum apparentibus miraculis,in fugam uerſi ſunt:quia pauore conterriti, à perſecutione fidelium ceſſauerunt. Intuendum eſt etiam id quod illic ſcriptum eſt,quia in dextera tubas, lagenas autem in ſiniſtra tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimus, quicquid pro magno penſamus. Pro ſiniſtro uero, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic ſcriptum eſt, quòd in dextera tubas, & in ſiniſtra lagenas tenuerunt: quia CHRISTI martyres pro magno habent prędicationis gratiam: corporum uero utilitatem pro infimo. Quiſquis enim plus facit utilitatem corporis, quàm gratiam prædicationis, in ſiniſtra

tubā,

tubã,atq; in dextra lagenã tenet. Si enim priori loco gratia prędicationis attẽditur, & posteriori utilitas corporis, certũ est quia à dextris tubę & à sinistris lagenę tenentur.

De Abimelech. Ca. VI.

MOritur Gedeon, & reliquit septuaginta filios, & unum nomine Abimelech natũ ex cõcubina: qui conduxit sibi uiros uagos, & abierunt post illum, & intrauit in domum patris sui, & occidit fratres suos septuaginta uiros super lapidẽ unum, & remansit Ioathan iunior, quoniã absconsus erat, &c.) Hoc factum si nihil propheticum indicaret, quid opus erat ut magnopere scriberetur, utrum Gedeon septuaginta filios & multas uxores habuisset: sed & concubinã, de qua unũ & malum filiũ suscepisset, & quod cum turpe factum sit, tũc etiã turpius esset, si hoc posteris ad exemplũ in diuinis libris scriptum uideretur, nisi magnæ alicuius rei imaginẽ earũ rerũ gesta per typos & figuras ostenderent? Gedeon igitur, ut superius dictum est, typum dñi portendebat. Plurimæ uxores eius, multæ sunt nationes, quæ per fidem Christo adhæserunt. Septuaginta uero filij eius, septuaginta linguæ sunt in hoc mundo diffusæ, in quibus per fidẽ filios sibi dñs generaturus erat. Cõcubinam hoc in loco synagogã uocat, quæ nouissimis temporibus Antichristo est creditura: De qua Iohãnes in Apocalypsi ait: Qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. De qua ultimis temporibus nequissimus filius, id est Antichristus est generandus: eritq; filius ancillæ, id est synagogæ, illius peccatricis: quia qui peccatum inquit facit, seruus est.

Hic inquã congregatis sibi impijs sicut Abimelech fecit, regnum improbe usurpabit: interfectisq; nobilibus filijs, id est his qui ex diuersis nationibus & linguis in Christo credentes, à deo sunt generati, inducturus est persecutionẽ, ut omnes sanctos interficiat. Sed super septuaginta inquit, fuit iunior filius ex nobili matrimonio, qui se abscõderat. Hic inquit ascendit in uerticẽ montis Garizim, & clamauit uoce magna ad populũ sycomoreũ, ponens eis parabolã. Hic ergo iunior filius qui fugit ut gladiũ inimici euaderet, figura est residui populi Israël, prædicãte Helia extremis tẽporibus credituri: & Antichristi gladium euasuri. Ascendit inquit iste in uerticem montis Garizim. Sed cur montem ascendit? Quia nec prophetare, nec persecutionẽ Antichristi quisq; euadere potest, nisi prius in montem benedictiõis, id est in sublimitatem fidei ac uirtutum ascenderit. Hic est enim mons Garizim, qui à Moyse in benedictionem deputatur. Itaq; cum ascendit, eleuata uoce clamauit & dixit: Audite me uiri Sichem: Ierũt ligna ut ungerẽt super se regem: dixeruntq; oliuæ, impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum amittere pinguedinem meam, qua dij utuntur & homines, & uenire ut inter ligna promouear? Dixeruntq; ligna ad arborem ficum: Super nos ueni regnum accipere. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusq; suauissimos, & ire ut inter cætera ligna promouear? Locuta sunt quoq; ligna ad uitem: Veni & impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere uinum meum quod lætificat deum & homines, & inter cætera ligna promoueri?) Cum ergo repudia-

ta fuissent ligna syluæ ab oliua & ficu & uite, uenerunt ad ramnum, ut eum sibi facerent regem. Sed prius uideamus, cur oliua, & ficus, & uitis, super ligna regnare noluerunt. Ligna quippe syluæ homines esse uagos & uanos, æterno incendio præparatos intelligim⁹. Hic ergo merito noluit nec olea nec ficus regnare nec uitis: quia nõ merebant. Olea eñ gratiã spiritus sancti & unctionẽ pacis significat: Ficus aũt sacræ legis imaginẽ habet. Et sicut in euãgelio scriptum est, Quidã paterfamiliâs plantauit uineam, & in uinea sua plantauit ficum. Quis pater familiâs nisi deus, qui familiæ suæ. i. omniũ credentiũ pater est? Plantauit ergo uineã id est populum: quia uineã ex Aegypto transtulit, & utiq; populũ non uineã ex Aegypto trãstulerat. In hac uinea plãtauit ficũ, hoc est in populo suo posuit legẽ. Quę lex primitiuũ populũ uelut ficus grossos, aridos & inutiles, deiecit in terrã, & postea alios fructus generauit, id est populũ Christianũ, quẽ ad debitã euangelicę disciplinę maturitatẽ, & suauissimã pinguedinẽ Christi, cũ gloria & honore perduxit. Sed uitis inqt noluit regnare in eis. Vitẽ autẽ saluatoris typũ habere manifestũ est, sicut ipse in euangelio ait: Ego sum uitis uera. Igitur quia iam in reprobũ sensum, sicut Apost. dixit, futurus est populus ille q Antichristo ẽ seruitur⁹, quẽ ligna syluæ appellat: & necesse est ut credat mendacio. i. Antichristo, q ueritati. i. Christo noluit credere: ideo & à regno uitis. i. Christi, & ab olea. i. spũs sancti grã, & à ficu. i. diuinę legis dulcedine, reprobat. Venit ad rãnũ. Rãnus eñ genus rubi ẽ, quã uulgo sentẽ ursinã appellãt, asperũ nimis & spinosum, p q̃d merito typus Antichristi significat: q

omni

omni asperitate & feritate, humanum genus est uastaturus. Sed exiet inquit ignis de ramno, id est iniquitas de Antichristo, & omnes qui in eo cõfidunt, cum ipso pariter deuorabit. Videtur ergo Gedeon Christi imaginẽ habuisse. Septuaginta uero filij, septuaginta uidelicet nationes credẽtes per seculi generationes, filij dei esse meruerunt. Abimelech uero filius ancillæ, typũ Antichristi portasse: qui cõgregatis perditis nationibus, regnũ sibi improbe usurpabit: omnesq́ sanctos uitæ persecutione, omniq́ crudelitate trucidabit. Ioathan uero iunior sanctorum fuit. Sicut enĩ Ioathan per fugã recessit & reliqui interfecti sunt, sic nemo euadere poterit persecutionẽ Antichristi, nisi qui fuga recesserit, & in montẽ benedictionis ascenderit. Hic est mõs quem sancti circundabũt: quẽ & sanctus Moyses in benedictionibus sicut iam suprà dictum est in Deuteronomio, posuit.

De Iepte & filia eius. Cap. VII.

ADiecerunt deinde filij Israël deseruire Baalim, & dijs alienis: traduntur q́ in manus filiorum Ammon. Tunc Iepte Galaadites, fugiens à facie fratrũ suorum, cõstituitur in principem ob pugnã filiorum Ammon. Qui rediens post triumphũ, immolauit filiã quæ sibi uictori prima occurrerat: sic enim uotũ spoponderat, ut quicquid sibi primum reuertẽti occurreret, domino immolaret. Quis ergo in Iepte prænuntiabatur, nisi dominus IESVS CHRISTVS & saluator noster, qui à facie fratrũ suorum, id est Iudæorũ abscedens, in gentibus principatum accepit: qui omnia humanæ salutis sacramenta tanq̃ iuratus expleuit: & quasi filiam, ita

carnem propriã pro salu te Israëlis domino obtulit Iurasse enim patri, ac uouisse unigenitum legimus in psalmo dicente: Sicut iurauit domino, uotũ uouit deo Iacob: scilicet ut sacramentũ religiõis in carnis suæ passione pro salute generis humani expleret. Hæc ergo secundũ historiã gestorum ita per Christum acta sunt, ut uideantur pro religione qua iurauerat esse completa. Post mortẽ Iepte traditur Israël in manus allophylorum: nasciturq; Samson qui liberat Israel.

De Samson & actibus eius. Cap. VIII.

SAmson autem quondã domini Nazaræus, habet quiddã in typũ Christi gestũ: primũ quòd ab angelo natiuitas eius annũtiatur: deinceps quoniam Nazaræus dicitur, & ipse liberat Israël de hostibus: postremo q templũ idolorum subuertit: & perierunt multa milia hominũ qui illũ illuserant. Natiuitas ista Samson quæ per angelũ annũtiatur, similitudinẽ habet primũ prophetarum, qui natiuitatem domini secundũ carnẽ annuntiauerunt: deinceps etiã angeli qui ad MARIAM loquitur dicens: MARIA inuenisti gratiã ante conspectũ domini, & accepisti in utero & paries filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel: Hic enim saluũ faciet populũ suũ à peccatis eorũ. Samson autẽ interpretatur sol. Sed quia & redemptor noster sol appellatur, audi ipsum dominũ IESVM per prophetam eo nomine uocitari: Orietur uobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Vere enim hic sol iustitiæ est, qui omnium credentiũ mentes cœlesti lumine clarificat. Hic uere Nazaræus & sanctus dñi: cuius in similitudinem ille Nazaræus est nuncupatus. Iste ergo cum teneret

deret ad mysteriū nuptiarū, leo rugiens occurrerat ei. Sed quis primum erat in Sāson obuium leonem necās, cū petēdæ uxoris causa ad alienigenas tēderet, nisi Christus, qui ecclesiā uocaturus ex gētibus dicit: Gaudete quia ego uici mundū? Quid sibi uult ex ore eius leonis occisi fauus extractus, nisi quia ut cōspicimus leges ipsas regni terreni quæ aduersus Christū ante fremuerāt, nūc iā perēpta feritate, dulcedini euāgelicæ prædicationis monimēta prębēt? Itē quid in semetipso expressit, q̄ paucos quidē dū uiueret interemit, destructo aūt tēplo hostes innumeros cū moreret̄ occidit? Quia nimirum dn̄s ab elatiōe infidelitatis paucos cū uiueret, plures uero cū templū sui corporis solueret̄ extinxit, atq; elatos ex gentibus quos uiuendo sustinuit, simul omnes moriēdo prostrauit. Iam uero reliqua eius, q̄ ei mulier subdola caput raserit, & allophylis illudendum tradiderit, q̄ captiuatus est, q̄ cæcatus est, q̄ ad molam deputatus est: in his enim non Christus, sed illi figurātur, qui solo tantū in ecclesia Christi nomine gloriantur, & malis actibus iugiter implicant̄. Vir enim in nobis sensus rationabilis intelligitur: caro autē quasi in typo mulieris accipit̄. Si enim mulieri id est carni nostræ, blandiente libidine uel reliquis malis operibus consenserimus, gratia spiritus quæ Nazarei crine significatur nudati, expoliamur atq; decipimur. Ita enim superbis & peccatoribus uiolata Christi gratia, sicut Samson incisa coma diabolus illudit. Sed qd est q̄ Sāson ille ab allophylis captus, postq̄ oculos perdidit, ad molā deputatus est? Quia nimirū maligni spiritus, postq̄ tentationū stimulis aciē contēplationis effodiūt, foris hominem in cir-
cumitum

cumitũ molarum mittunt. Q. si aliqñ idẽ homo agendo pœnitentiã redeat, illi uelut coma reducit: id est gratia reflorescente reparatur ad uirtutẽ: deinde cupiditatis ac luxurię subuersis columnis, uictores hostes deijcit, & reparato certamine, in finẽ fortissime de dæmonibus triumphabit.

De Ruth Moabitide. Cap. IX.

Videamus nunc & Ruth: Habet enim ista typũ ecclesiæ: primũ q alienigena est ex populo gentili: quæ relicta patria & omnibus q̃ illius erãt, uadit in terrã Israël, & cũ prohiberet illã socrus sua pergere secũ, perseuerabat dicẽs: Quocũq; prexeris pergã: Populus tuus, populus meus: & deus tuus, deus meus: quę te morientẽ terra suscceperit, in ea moriar.) Quæ uox sine dubio typũ in illa fuisse ecclesię manifestat. Sicut em̃ ecclesia ex gẽtibus ad dñm cõuocata, relicta patria sua quæ est idololatria, & omissa uniuersa cõuersatiõe terrena, profitet̃ dominũ suũ esse in quẽ sancti crediderunt: & illuc se iturum, ubi caro Christi post passionẽ ascendit, & ob eius nomẽ in hoc seculo pati usq; ad mortẽ: & cũ sanctorum populo, patriarchis scilicet ac prophetis cõsociandũ. De quorum societate, q sanctis de stirpe Abrahæ eminẽtibus consociaret̃, Moyses in cãtico ostẽdit dicẽs: Lętamini gẽtes cũ populo eius: .i. hi q ex gẽtib⁹ estis crediturí, cũ illis q primi electi sunt æterna lætitia exultate. Ingressa autẽ Ruth cũ socru sua in terrã Israël, ob merita obsequiorum suorũ prouidet̃, ut homini coniungeret̃ ex Abrahæ stirpe uenıẽti: & primũ quidẽ hũc quẽ ipsa propinquũ magis esse credebat, qui negat se posse illi nubere: & recedente illo, per testimonium decem maiorum;

Booz illi coniungitur, & ab ipsis senioribus benedicitur. Sed quod prius ille cognatus profitetur se cũ eadem nubere non posse, hoc loco Iohannis Baptistę figurã ostendi æstimamus: qui cum ipse à populo Israel Christus putaretur, & interrogaretur quis esset, non negauit sed confessus est, dicens Christum se non esse: & perseuerantibus his qui missi erant, & inquirentibus quis esset, respondit: Ego sum uox clamantis in deserto. Nouissime confitetur de dño ipse dicens: Qui habet sponsam sponsus est. Se autẽ amicũ sponsi manifestat cum dicit: Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, lætatur propter uocem sponsi. Hunc ergo æstimabant: quia CHRISTVM in die uisitationis suæ uenisse non intelligebant esse ecclesię sponsum, qui propheticis esset uocibus ante promissus. Sed sicut ille propinquus negauit, & postea Ruth coniungitur Booz, ita & CHRISTVS qui uere sponsus ecclesiæ est, quem omnium prophetarũ oracula cecinerant, dignatus est ecclesiã assumere ex omnibus gentibus, per totum orbẽ terrarũ deo patri innumeros populos offerre. Quod uero excalceat se cognatus ille, ueterũ cõsuetudo erat, ut si spõsa sponsum repudiare uellet, discalcearetur ille: & hoc esset signũ repudij. Proinde excalceari iubetur, ne ad ecclesiã quasi sponsus, calceatus accederet. Hæc enim Christo seruabatur: qui uerus sponsus erat. Decẽ autẽ maiorũ natu benedictio, hoc ostendit, in nomine IESV omnes esse gentes saluãdas ac benedicẽdas. I enim apud Græcos significat decem: quæ prima litera nomen domini IESV summa præscribit. Quæ res ut diximus, omnes gentes saluandas per ipsum ac benedicẽdas

esse

esse demõstrat. Ne dubitet ergo quisq̃ hæc ut dicta sunt credere: & cum uideat uniuersa & ab initio figuris antecedẽtibus præcucurrisse, & per aduentũ domini manifestata & adimpleta sic esse: & quæ supersunt hoc modo perficienda in ueritate, consonãtibus omnibus & uocibus & figuris sanctarũ scripturarum: quæ adimpleuit is qui pollicitus est per filium suũ dominum IESVM CHRISTVM regem & saluatorem nostrũ: cum quo est illi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Enarrationis Isidori in librũ Iudicũ, finis.

CAPITVLORVM PRIMI LIBRI REGVM, ELENCHVS.

De Natiuitate Samuelis. I
De propheta ad Heli destinato. II
De arcæ captiuitate. III
De sacrificio Samuelis, & lapide adiutorij. IIII
De unctione Saul regis. V
De ieiunio indicto à Saule. VI
De Agag rege seruato. VII
De arreptione Saul ab spiritu nequam. VIII
De Dauid & unctione eius. IX
De certamine Dauid & Goliæ. X
Vbi Saul Dauid pro centum præputijs Philistinorũ, filiæ promittit concubitum. XI
Vbi canẽs Dauid, spiritum repellebat immundum Saul. XII
Vbi misit Saul ad domũ Dauid custodes ut interficeretur. XIII
Vbi missi ad Dauid capiendum, prophetare cœperunt. XIIII

Vbi Dauid ad Abimelech sacerdotem uenit. XV
Vbi Dauid ad regem Achis fugit. XVI
Vbi in speluca Dauid Saulis chlamydem præcidit. XVII
Vbi Dauid dormientis Saul hastã tulit. XVIII
Vbi Amalechitæ à Dauid superantur. XIX
Vbi pythonissam cõsuluit Saul. XX
Vbi occiditur Saul. XXI

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in librũ Regum I. præfatio.

POST LIBROS IVDICVM sequitur Regum: & aspice tempora. Primũ Iudicum & postea Regum: sicut erit primo iudicium & postea regnum. In quibus quippe temporibus, multis & uarijs modis sacramenta Christi & ecclesiæ reuelantur: Nã ab ipso exordio regum, sacerdotium commutatum in Samuele reprobato Heli, & cõmutatũ regnum in Dauid reprobato Saule, exclamat pronũtiari nouum sacerdotium: nouumq́; regnum reprobato ueteri, q̃d umbra erat futurorũ. in domino IESV CHRISTO. Nonne ipse Dauid cũ panes propositionis mãducauit, quos non licebat mãducare nisi solis sacerdotibus, in una psona utrunq; futurũ, id est in uno Iesu Christo, regnum & sacerdotium figurabat?

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI in I. librũ Regum, Enarratio.

DE natiuitate Samuelis. Cap. I.

ITaq; ipsa Samuelis sacerdotis successio, nouũ ut prædictum est, & sempiternum sacerdotiũ præfigurabat, qui est Christus Iesus, Heli sacerdotio

dotio reprobato: id est Iudaico sacerdotio abiecto. Mater quoq; ista Samuelis Anna quæ prius fuit ste rilis & posteriori fœcunditate læta est, cuius etiã nomẽ, id est Anna, gratia eius interpretatᷣ ipsam religionem Christianam, ipsam postremo dei gratiã significat, qua nobis Christus oritur: ipsam quoq; ecclesiam quę olim sterilis, nũc fœcunda in dei lau de lętatur: quæ nihil aliud in cantico suo prophetare uideẽ, nisi mutationem ueteris testamẽti uel sacerdotij, in nouũ testamentũ uel sacerdotiũ qui ẽ Christus: nisi forte quis dicat nihil Annã prophetasse, sed tantũmõ deũ propter filiũ impetratũ exultã ti prędicatione laudasse. Quid ergo sibi uultq̃d ait? Arc⁹ fortiũ fecit infirmũ, & infirmi pręcincti sunt uirtute. Pleni panibus minorati sunt, & esurientes transierunt terram: quia sterilis peperit septem: & fœtosa in filijs infirmata est.) Nũquid septem ipsa pepererat, quauis & sterilis fuerit? Vnicum habebat, quando ista dicebat. Sed nec postea septem pe perit siue sex: ex quibus septimus esset Samuel, sed tres mares & duas fœminas. Dein in illo populo cũ nemo adhuc regnaret, quod in extremo posuit, Da bit uirtutẽ regibus nostris, & exaltabit cornu Chri sti sui, unde dicebat: si nõ prophetabat? Dicit ergo hęc ecclesia Christi, ciuitas regis magni, gratia plena, prole fœcunda: dicit quod tanto antẽ de se prophetatum, per os huius piæ matris agnoscit: Cõ firmatum est cor meum in domino: et exaltatũ est cornu meũ in deo salutari meo. Etc.) Interea Samu el erat ministrans in templo dei, accinctus Ephot. Porro filii Heli diuina sacrificia temerãtes peccabãt corã dño et deridebant ꝑ eos multi sacrificiũ dei.

Vnde & Heli sacerdos pro eorum iniquitate damnatus est, quod eos peccantes minus seuera animaduersione flectebat. Miserum me & quidē coërcuit, & quidem corripuit: sed lenitate & mansuetudine patris, non seueritate & auctoritate pontificis. Qua sententia discant sacerdotes, quomodo ipsi propter peccata filiorum, id est propter scelera populi puniant. Quibus etiam quãuis sancti sint, culpa tamē subditorum rei, si non coërceant, reputantur.

De propheta ad Heli destinato. Ca. II.

VEnit aũt quidã propheta dei ad Heli sacerdotem & dixit ei: Hæc dicit dominus: Nunquid nõ aperte reuelatus sum domui patris tui cum esset in Aegypto in domo Pharaõis, & elegi eũ ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotē, ut ascenderet ad altare meũ, & adoleret mihi incēsum, & portaret ephot corã me, & dedi domui patris tui omnia de sacrificijs filiorum Israël? Quare ergo calce abiecisti uictimã meã, & munera mea q̃ præcepi ut offerrent in tēplo, & magis honorasti filios tuos q̃ me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei? Propterea ait dominus deus Israël: Loquens locutus sum, ut domus tua & domus patris tui ministraret in cõspectu meo in sempiternum: Nunc autē dicit dominus: Absit hoc à me: sed quicunq; glorificauerit me, glorificabo eũ. Qui aũt contēnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies ueniũt, & præcidã brachiũ tuũ, & brachiũ domus patris tui, ut nõ sit senex in domo tua, & uidebis Christũ æmulum tuũ in tēplo, in uniuersis prosperis Israël.) Quæ prophetia de mutatione sacerdotij nõ est in Samuele completa, sed in Christo Iesu extitit adumbrata.

Nam post Samuelē prophetā sacerdotes fuerūt de genere Aaron, sicut Sadoch & Abiathar regnante Dauid: & alij deinceps, anteq̄ tempus ueniret quo ista de sacerdotio mutando, propter Christū effici oportebat. Nam cū diceret: Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in cō spectu meo usq; in sempiternū, nunc autē dicit dn̄s, Absit hoc à me: sed quicunq; glorificauerit me glorificabo eum: qui autē contemnunt me erunt ignobiles, ecce isti sunt dies qui prenuntiati sunt, iā enim uenerunt. Nullus enim sacerdos est secundū ordinē Aarō. Nam & illud quod ibi sequitur, Suscitabo mihi sacerdotē fidelē, de Christi Iesu noui testamenti sacerdote dicit. Q, uero adiungitur, Et erit qui remāserit in domo tua, ueniat & oret pro eo, nō proprie de domo dicit huius Heli, sed illius Aaron de q̄ usq; ad aduentū Christi homines remanserunt. De quo genere etiā hucusq; non desunt qui ueniant & conuertantur. De quibus ali⁹ propheta dixit: Reliquiæ saluæ fient. Vnde & Apostolus: Sic ergo inquit & in hoc tēpore, reliquiæ secundū electionē gratiæ saluæ fiunt. De talibus enim residuis bene intelligitur esse quod dictū est: Qui remanserit in domo, ueniat & oretur pro eo: profecto qui credit in Christo, sicut temporibus apostolorum ex ipsa gente plurimi uenerunt & crediderunt. Neq; nunc desunt qui licet rarissime, tamen credant: ut impleatur in his quod hic hō dei locutus est. Q, uero continuo secutus adiūxit, Et offerat nummum argenteum & tortam panis.) quid per nummum argenteū nisi oris confessio designatur, quæ fit credentibus ad salutem? Argentum enim pro eloquio poni solet, psalmista

testāte ubi canitur: Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatū. Quid ergo dicit iste q uenit, Dimitte me obsecro ad unam partē sacerdotalem, ut comedam buccellam panis?) sacerdotalem partem corpus Christi id ē ecclesiā, dicit: cuius plebis ille sacerdos est mediator dei & hominū homo Christus Iesus: cui plebi dicit apostolus Petrus: Plebs sancta: regale sacerdotium. In hac parte sacerdotali postulat comedere buccellā panis: cuius uerbum ipsum sacrificium Christianorum eleganter expressit, de quo dicit sacerdos: Ipse panis quem ego dabo caro mea ē, pro mūdi uita. Ipsum ē qppe sacrificiū, nō secundū ordinē Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech.

DE arcæ captiuitate. Ca. II.

IGitur postq̄ hæc in figura mutationis ueteris testamenti à propheta illo pronuntiata sunt ad Heli offenso domino, instruxerunt aciem Philistæi contra Israël. Tollunt aūt Israëlitæ arcā ad tuitionem suam: captaq; est ab hostibus arca. Ipsi quoq; non solum uicti sunt & in fugam uersi, imò etiā magna strages facta est occisorum: Nonnihil tamē futurorum significat res gesta hęc. Prophetice em̄ arca illa ab alienigenis capta, indicabat testamentū dei transiturum ad gentes: quando enim nūtiatum est Heli sacerdoti, captam fuisse arcam domini, cecidit de sella & mortuus est. Transeunte arca domini ad gentes, perijt atq; interijt sacerdotiū Iudæorū. Duoq; filij Heli corruerunt, quorū unius uxor uiduata, & mox in partu mortua est, propter eandem perturbationem. Quo euidenti signo præfiguratū est, post extinctum sacerdotium Iudęorum, carnalem inte-

interijsse synagogã illi carnaliter inhętentem. Prostratoq́ Heli de sella, pontifices Iudæorꝝ sedem habere uacuam:& gloriã sacerdotij tegniq́ extĩctam. Sed qd est quòd dum posuissent Philistijm arcam domini in templo Dagotis dei sui, intrauerunt templum & inuenerũt deum suum prostratum, atque confractum caput eius: duasq́ manus eius abscisas? Statim enim ut testamẽtum dei peruenit ingẽtibus, confestim idola quæ deceptum possidebant orbem, destructa sunt: omnisq́ error simulachrorũ corruit, præsentiam dei ferre non sustinens: Nam in manibus Dagõ p̃cisis, opus idololatriæ amputať: & in caput eius, superbia diaboli significabatur: à quo initiũ peccati fuit. Quòd uero in limine, ut certum scilicet præfinitumq́ sui idololatria finẽ agnosceret: Limen enim finem itineris significat. Etiam illud ad magnam pertinet significationem, ipsa ruina Dagon dei sui atque fractura, quòd dorsum illius solum inuenerunt, fractis eius omnibus membris: Dorsum enim fugam significat. Quicunq; enĩ fugiunt, persequentibus dorsum dant: Vnde & scriptum ẽ de hostibus: Quoniam pones eos dorsum. Vbi sunt enim idola? Perierunt: & si aliqua remanẽtia ab aliquibus absconduntur, fugerunt. Quòd autem percussi sunt in posteriora hi qui arcam dei captiuauerunt, hac pœna signum uidetur, quia si qui susceperint testamentum dei & posteriora uitæ dilexerint, ex ipsis iustissime cruciabuntur: quę sicut Apostous ait, existimari debẽt sicuti stercora. Qui enim sic assumunt diuinum testamẽtum, ut in posteriora respicientes ueteri se uanitati non exuãt, similes sunt hostib⁹ illis, q arcã testamẽti captiuam,

 iuxta

iuxta idola sua posuerunt. Et illa qnidem uetera etiam nolentibus cadunt: quia omnis caro fœnum, & claritas hominis ut flos fœni. Aruit fœnum & flos decidit: arca autem domini manet in æternum: secretum scilicet testamẽtum, regnum cœlorum: ubi est æternũ dei uerbũ. Vaccæ autẽ illæ allophylorũ arcam dei gestantes, fugã sanctorũ renuntiantium seculo designauerunt: qui nullũ delicti iugũ traxerunt. Nam sicut ille pignorũ affectibus à recto itinere minime digressæ sunt, ita sancti mundo renũtiantes, parentelæ obtentu non debent à bono prępediri proposito, sicut & Moyses ait: Qui dicunt patri suo & matri, nescio uos: & fratrib9, ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodierũt testamentũ dei: hi præcepta eius seruauerũt: Iudicia tua Iacob, & legem tuam Israël. Ille enim scire se deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis eius, nescire desiderat quodcunq; carnaliter sciuit.

De sacrificio Samuelis & lapide adiutorij. Cap. IIII.

SAmuel autem post mortẽ Heli regebat Israël. Congregato aũt omni populo exclamauit ad dominũ pro Israël: & exaudiuit eum cum offerret holocaustum. Accedentibus itaq; alienigenis ad pugnã contra populũ dei, intonuit dominus super eos & confusi sunt: & offenderunt corã Israël usq; quo superati sunt. Tunc assumpsit Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphat & inter Sicelech, quod Septuaginta trãstulerũt Masphat nouam & ueterem: & uocauit nomen euis, lapis adiutorij, & dixit: Vsque ad hunc locum auxiliatus est nobis deus. Masphat interpretatur intentio. La-

pis ille adiutorij, medietas est saluatoris, p quã trãſ‑ cundum est à Masphat uetere ad nouam.i.ab inten tione quę expectatur in carnali regno, quo erat beatitudo falsa carnalis, ad intentionẽ quæ per nouum testamẽtum expectatur in regno cœlorum, ubi est beatitudo uerissima spũalis. Qua qm̃ nihil ẽ melius, hucusq; auxiliatus est deus. Iste Samuel inuocauit nomen dñi, & exaudiuit eũ deus, & in tpe messis pluuiam impetrauit. Pluuia enim in sanctis scripturis sunt euangelij uerba, sicut & Moyses dicit: Expectetur sicut pluuia eloquiũ meũ, & descen dãt sicut ros uerba mea. Hanc igitur pluuiam dedit mõ Christus in tpe messis.i.qñ gentes colligi opor tebat: ut sicut frumentũ in horreis, sic intra ecclesię sinũ gentes cõgregarẽtur. Iudicabat aũt Israel omnibus diebus uitæ suæ: fuerũtq; usq; ad eũ iudices & principes super Israel. Porro filij Samuel declinaue runt post auaritiam, & accipiebant munera, & tã iniqui iudices extiterũt, ut populus nequaq̃ eos ferens, regem sibi in similitudinem cæterarum genti um postularent.

De unctione Saul regis. Ca. V.

QVibus dedit deus Saul regem: ungiturq; iubẽte domino prior à propheta in regnũ, qui & ipse quidẽ in id quod unctus ẽ, imaginẽ Christi portauit. Vnde & beatus Dauid, qui & ipse christus nuncupatus ust, ait ad eũ qui se finxe rat Saul occidisse: Quomodo non timuisti mittere manũ tuã in Christũ domini? Hinc est q ab humero sursum Saul supereminebat omnibus, qa caput nostrum sursum est super nos, quod est Christus. In id aũt quòd reprobatus postea & reiectus est,

succedente in regno Dauid, populi ut prædictum est Israël personam gestauit: qui regnum quod adeptus fuerat, amissurus erat à Christo domino nostro per nouũ testamentum non carnaliter sed spiritualiter regnaturo.

De ieiunio indicto à Saule. Cap. VI.

Iste Saul dũ pergeret dimicaturus aduersus Philistĳm, indixit cuncto exercitui ieiuniũ, quousq; reuerteretur à prælio. Sed Ionathas filius eius uidens super faciẽ agri mel, extendit summitatẽ uirgæ & intinxit in fauũ mellis & gustauit: & illuminati sunt oculi ei9. Nõ utiq; ad uidendũ illuminati, quia antea uidebat: sed ad discernẽdum quia uetita tetigerat: tunc enim casus ille sicut & Adã, fecit illũ attentũ, reddiditq; cõfusum: quo facto admonetur ut omnes illecebras uoluptatum in seculo debeant conterere hi, qui deo nituntur militare: Non enim potest contra allophylos spirituales, id est aduersus principem tenebrarũ uiribus animisq; concurrere, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare. Melle enim distillant labia mulieris meretricis, quod est uoluptatis delectatio carnalis: de q̃ putaẽ iuxta mysticos intellectus gustasse Ionathã: & forte deprehẽsum, uix p̃cibus populi liberatũ.

De Agag rege seruato. Cap. VII.

Iniĳt iterũ Saul prẽliũ aduersus Amalech: interfectisq; cunctis hostibus, pepercit Agag regi: nec uoluit disperdere omnia secundũ præcepta dñi. Irasciturq; ei dominus. Veniẽs aũt Samuel sumpsit gladiũ, & in frusta cõcidit Agag. Quãdo legũt q̃dã in scripturis, q̃ sancti nulli hostiũ parcũt, efficiũtur crudeles & humanũ sanguinẽ sitiẽtes: dicũt: & iusti

ita pcusserunt hostes, ut nõ derelinquerẽt ex his q̃ saluus fieret: et nõ intelligunt in his uerbis obũbrari mysteria: et hoc nobis magis indicari, ut pugnantes aduersus uitia, nullũ penit⁹ ex his relinquere debeam⁹, sed oĩa interimere: Nã si pepcerimus, reputatẽ nobis in culpa: sicut reputatũ est Saul q uiuũre seruauerat regẽ Amalech. Quomõ ẽm q̃sq̃ iustus manebit, si adhuc aliq̃d pc̃tĩ in semetipso seruarit sicut Saul? At uero sancti in figura Samuelis ita sæuiunt sup hostes suos .i. sup uitia pc̃tõrum, ut non permittant relinqui aliquod peccatũ impunitum.

De arreptione Saul ab spũ nequã. Ca. VIII.

IGitẽ recedente à Saul dño propter inobedientiã, arreptus est maligno spũ à dño: irruebatq̃ spũs dñi malus in eũ. Si domini, cur malus? Si malus, cur domini? Sed duobus uerbis cõprehensa est hęc sñia: & in deo ptãs iusta, & in diabolo uoluntas iniusta. Nã idẽ spũs malus, p neq̃ssimã uoluntatẽ: & idẽ spũs dñi, p acceptã iustissimã ptãtem. Inde ergo spiritus dñi appellatus ẽ diabolus propter ministeriũ: qa oĩbus etiã spiritib⁹ malis bñ utiẽ deus: uel ad damnationẽ q̃rundã, uel ad emũdationẽ, uel ad reprobationẽ. Et q̃uis malignitas à deo nõ sit, ptãs tamẽ nisi à deo nõ ẽ. Sic & alibi dictũ ẽ etiã: Sopor dñi occupauerat milites eiusdẽ Saul, cũ Dauid hastam & scyphũ abstulisset à capite dormiẽtis. Nõ qa sopor tũc dñi fuit ut ipse dormiret, sed qa ille sopor q tũc hoĩes apprehẽderat, nutu dei erat ĩfusus, ne Dauid serui ei⁹ in eo loco pręsentia sentiret. Diciẽ ergo spũs dei malus: hoc est minister dei ad faciẽdũ in Saul, q̃ eũ pati iudex oĩpotẽtissim⁹ iudicabat. Q̃m spũs ille uolũtate qua mal⁹ erat, nõ erat dei: creatura uero

qua



qua conditus erat,& potestate quã non sua, sed domini omnium æquitate acceperat,dei erat.

De Dauid & unctione eius. Ca. IX.

ITaq; Saule propter inobedientiam reprobato, mittit dñs Samuelem ad Isai, & sumpto cornu olei,unxit in regem Dauid.Sed uideamus unde Dauid prophetice Christum signauerit. Dauid em̃ interpretatur manu fortis,siue desiderabilis. Et q̃d fortius leone illo de tribu Iuda, qui uicit mundũ? & quid desiderabilius illo de quo dicit̃: Veniet desideratus cunctis gẽtibus? Vngitur iste Dauid in regẽ, futurũ denuntians per unctionẽ illam Christum. Christus à chrismate appellat̃. Dauid ab officio pastorali pecorꝫ,ad omnium Iudæorꝫ regnum transfertur. Noster aũt Dauid ipse Iesus ab ouibus Iudaicę plebis ablatus,in regnũ gentium translatus est. In Iudæa enim non est mõ Christus:ablatus ẽ inde: nunc uero gentium greges pascit. Erat aũt Dauid in canticis musicis eruditus:) diuersorum enim sonorum rationabilis moderatus'q; concẽtus, cõcor di uarietate compactus,ordinatæ ecclesiæ insinuat unitatẽ,quæ uarijs modis quotidie resonat, & suauitate mystica modulatur.Iste adhuc puer in cithara suauiter, imò fortiter canens, malignũ spiritũ, q operabatur in Saule, cõpescuit. Non q; citharæ illi tanta uirtus erat,sed figura crucis Christi,quæ de ligno & extẽsione neruorꝫ mystice gerebat̃: ipsa q̃q; passio quæ cantabatur,iã tunc spũm dæmonis op primebat. Leonem quoq; & ursum Dauid idẽ necauit. Vrsum uidelicet diabolũ: leonẽ, Antichristũ: alterũ nunc hominibus latenter insidiantem:alterꝫ postmodũ manifestissime sæuientem.

De

De certamine Dauid & Goliæ. Ca. X.

Iste Dauid gigantem in prælio superauit, cũ aduersum populum dei alienigenæ dimicarent. Prouocauit superbia humilitatem. Prouocauit diabolus Christũ. Accepit arma bellica sanctus Dauid, ut aduersus Goliam procedat. Nec arma p ætatem, & paruam staturam corporis portare ualuit, abiecit onerantia, & accepit quinq; lapides de flumine, & posuit in uase pastorali. His armatus, processit & uicit. Hoc quidem ille Dauid, sed mysteria perscrutemus. In Dauid Christus intelligitur, qui tempus reuelationis noui testamenti insinuandæ & cõmendãdæ gratiæ præuidens, arma posuit, qñ q; lapides tulit. Deposuit ergo sacramẽta legis, quę non sunt imposita gentibus: deposuit quæ non obseruamus, quia in ueteri lege & legimus & non obseruamus. Sed tamen aliquam significationẽ præmissam & depositã intelligimus. Deniq; arma hæc deposuit tanq̃ onera sacramẽtoꝝ ueteris legis, & si ipsam legẽ accepit. Quinq; enim lapides, quinq; libros Moysi significant. Tulit ergo illos quinq; lapides de flumine. i. de seculo. Labitur eñ mortale seculũ, & pręterfluit quicquid uenit in mundo. Erant enim in flumine tanq̃ in populo illo primo: lapides erant illic inutiles & uacabãt, nihil proderant. Trãsierũt supra fluuios. Sed quid fecit Dauid, ut lex ipsa utilis esset? Accepit gratiã, qua legẽ implere posset. Lex enim sine gratia impleri non potest. Plenitudo ergo legis charitas, quia gratia facit impleri legẽ. Significatur aũt gratia lacte. Hoc enim est in carne gratuita, ubi mater non quęrit accipere, sed satagit dare. Hoc mater gratis dat, & contristatur si deest q

acci-

accipiat. Quomodo ergo ostendit Dauid legem sine gratia operari non posse, nisi cum illos lapides quinq; quibus significabat lex in libris quinq;, coniungere uolens gratiæ, posuit in uase pastorali quo lac mulgere consueuerat? His armatus processit aduersus Goliam superbum: iactantem de se & præsumentem. Tulit unum lapidem ac iecit: diabolum in fronte percussit: & cecidit ex eo loco corporis, ubi signum Christi nõ habuit. Hoc quoq; licet attendas: quinq; lapides posuit: unum misit: quinq; libri lecti sunt, sed unitas uicit. Plenitudo enim legis charitas, ut ait Apostolus: Sufferentes inuicem in dilectionẽ: studentes seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Deinde illo percusso atq; deiecto, gladium eius abstulit, & inde caput eius abscidit. Et hoc fecit noster Dauid: deiecit diabolum de suis, quando credebant magni eius quos ille in manu habebat, & de quibus cæteras animas trucidabat, conuertunt linguas suas contra diabolum, & sic Goliæ de gladio suo caput inciditur.

Vbi Saul Dauid pro centum præputijs Philistinorũ, filiæ promittit concubitũ. Cap. XI.

INterea uictoria Dauid animũ Saul regis offendit: indignantis q; sibi in mille, & Dauid in decẽ milia conclamantiũ publice gratulationis ora intonarent. Hinc inuidia Saul & semen odiorũ aduersum Dauid: quẽ dissimulator callidus ut sine insidijs suis possit offerre discrimini, statuit eum Michol filiæ suæ nuptijs alligari, si cẽtum sibi allophylorum præputia uictor offerret: pro quibus centũ ducenta dedit ille. Et unde creditus est regio perire uoto, inde auctus est glorificari trophæo. Ita & Iudæi

dæi dum contra uoluntatem dei, Christum interficere nituntur, per id salutem gentium egerunt, per quod crediderũt extinguere. Quòd uero Dauid alienigenarum præputia attulit, & sic denuo filiæ Saul nuptijs hæsit, significabat, ꝙ Christus nõ prius synagogam connubio suo sponderet, nisi antea gloriosus in gentibus fieret. Prius enim in nationibus resecauit carnis pollutionem, & postea copulatus est synagogæ. Postq̃ enim sicut scriptum est, introiret plenitudo gentiũ, tunc omnis Israël saluus fiet. Dupla autẽ, id est ducẽta præputia attulit: siue pro Iudæis & gẽtibus adqsitis: siue quia maior est numerus adquisitiõis populi gentiũ, q̃ credentiũ Iudęoꝶ.

Vbi canens Dauid, spiritum repellebat immundum Saul. Cap. XII.

DVxit deinde odium Saul aduersus Dauid in tantũ, ut rex ob medelam sui spiritus, Dauid de more psallente, eum iaculo conaretᷓ configere. Sed quid est ꝙ dum Saulẽ spiritus aduersus inuaderet, apprehensa Dauid cithara, eius uesaniã mitigabat? Per Saulẽ enim Iudæorũ elatio: per Dauid autẽ humilitas CHRISTI significabatur. Cum ergo Saul spiritu immũdo arripitur, Dauid canẽte, eius uesania tẽperatur: quia cũ sensus Iudæorũ per blasphemiã in furorẽ uertitur, dignũ est ut ad salutẽ eorum mentes, quasi ad dulcedinem citharæ, euangelicæ locutionis tranquillitate reuocentur.

Vbi misit Saul ad domũ Dauid custodes ut interficeretur. Cap. XIII.

SAul custodes misit ad Dauid ut custodirẽt eũ et interficerent. Abscessit aũt Dauid nocte & fugit, atq; saluat⁹ ẽ. Cũq; uenissẽt nũtij Saul, iuenerũt

statuam

ſtatuam in lectum Dauid poſitã,& pellem piloſam caprarꝫ ad caput eius. Audiamus ergo quid hoc ſignificet, ꝗ miſerit Saul ad cuſtodiendam domum Dauid,ut eum interficeret·Hoc nõ ad crucẽ dñi,ſed tũc ad paſſionẽ eius pertinet. Crucifixus eſt Chrũs & mortuus & ſepultus eſt. Erat ergo illa ſepultura tanq̃ domus,ad quã cuſtodiendã miſit regnũ Iudęorũ,qñ cuſtodes adhibiti ſuntſepulchro Chriſti.Qũo ergo cuſtodita ẽ domus,ſi Dauid figurabat Chrm̃, ut Chrũs interficeret,dũ nõ in ſepultura Chrũs,ſed in cruce ſit interfectus? Referẽ ergo hoc ad corpus Chriſti,quia interficere Chriſtũ, erat tollere nomẽ Chriſti.Neqꝫ enim crederetur in Chriſtum, ſi mẽdacium pręualeret cuſtodũ.Qui corrupti ſunt ut dicerent,quia dormiẽtibus nobis uenerũt diſcipuli eius & abſtulerũt eum. Hoc eſt itaqꝫ uelle Chriſtũ interficere,nomen reſurrectionis extinguere, ut mendacium euangelio præferretur. Sed ſicut illud nõ ualuit Saul ut interficeret Dauid,ſic nec hoc potuit regnũ Iudęorꝫ efficere,ut memoriam Chriſti deleret, Iſti aũt qui de Saul uirtute,i.de regno Iudęorum in Chriſto præſumere uoluerũt, offendũt in lapidem offenſionis tanquam in ſtatuam, & hœdus eis uiſus erat agnus: quia in quẽ peccatum non inuenerunt,quaſi peccatotem perſecuti ſunt.

Vbi miſſi ad Dauid capiendum,prophetare cœperunt. Ca. XIIII.

IGitur Dauid regiæ manus ictum euitans, eius perſecutiones declinans fugit,uenitqꝫ ad Samuelem.Et miſit Saul nuntios, qui apprehenderẽt Dauid.Samuel autem erat inter prophetas,& cętũ prophetarꝫ qui in illo tp̃e ꝓphetabant. Nuntij aũt qui

qui missi sunt, accepto eiusdem spũ ꝓphetauerũt. Missisq́ aliis hoc contigit: & tertiis nihilominus. Postea uero cum & ipse Saul uenisset, factus est super eum spiritus domini: & ambulabat ingrediens & prophetabat. Queritur aũt quomodo & illi, cum missi essent ad tenendum hominẽ & ad necem ducendum, tales spiritu effici meruerũt. Et Saul ipse q miserat ueniens, & ipse sanguinem innocẽtem quę rẽs effũdere, accipere meruit spiritũ illũ et prophetare. Quantũ eñi ad literam pertinet, nõ est mirꝫ hominem reprobũ ad mmẽotum transitorie prophetasse: dum etiam multi similes prophetiæ donũ leguntur habuisse: sicut ille Balaam reprobus, quem non tacet scriptura iudicio diuino esse damnatum: sed tamen prophetiam habebat. Nec illa uerba parũ attestantur huic sententiæ quæ in Euangelio scripta sunt: multos dicturos in illa die: Domine doĩe, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo uirtutes fecimus? Quibus tamen dicturus ẽ: Non noui uos: discedite à me oparĩj iniquitatis. Mystice autẽ exemplum huius Saul nuntiorumq́ eius in hac sentẽtia, figurat nõnullos hæreticos, qui aliquid boni de muneribus sancti spiritus habẽt, sicut testamenta legis & euangelij, sicut baptismi sacramentum, qui cũ ad ecclesiã catholicam ueniũt, nõ est in eis ullo modo uiolandum, aut quasi nõ habeant tradendũ: sed tamen eos non ideo debere salutem confiteri, quia nõ improbamus q̃d illos accepisse credimus, sed oportet eos cognoscere unitatẽ & societatẽ in uinculo charitatis: sine qua omnino quicquid habere poterint, q̃uis sit sanctũ atq; uenerandum, ipsi tamen nihil sunt: tanto indigniores effecti

f fecti

fecti premio uitæ æternæ, quãto illis donis nõ bene usi sunt quæ in hac uita quæ trãsitoria est, acceperunt. Item exemplũ atq; imago huius Saul nuntiorumq; eius in hoc loco, Iudæorũ non incongrue gerunt personam: qui dũ aduersari cupiũt Christo, habẽt in ore sacramẽta legis & prophetarũ ad testimoniũ Christi, & cũ ecclesia quasi cũ prophetis de scripturis disputãt: sicut illi cũ prophetis uaticinabant.

Vbi Dauid ad Abimelech sacerdotem uenit. Cap. XV.

Surrexit itaq; Dauid iterũ, & fugit in die illa à facie Saul: uenitq; ad sacerdotẽ Abimelech: à quo & gladiũ Goliæ tulit, & panes propositiõis accepit. Quæ res sacerdoti mortem attulit: & animaduersionẽ religiosę intulit ciuitati. Hæc itaq; gestorũ fides ẽ: sed quantũ ad sacramẽtũ prophetiæ ptinet, in domino nostro Iesu Christo impletũ est. Qui positus in carne dum insectationem declinaret Iudęorũ, ad apostolos transijt: cũ quibus & desideratũ sibi cibum sumpsit: desiderio eñ desiderauit pascha manducare. Ex quibus Goliæ, i. diaboli arma sustulit: fortis enim spolia ipse diripuit. Is ergo à qbus receptus est Chrũs, tribulationẽ induxit diabolus & mortẽ. Omnes enim, ut ait Apostolus, q in Christo uolunt pie uiuere persecutioẽ patiunt: & dominus ait: Si me persecuti sunt, & uos psequẽtur. In Doech aũt Idumęo Iudæ proditoris persona consistit: per quẽ ista operatus est Zabulus, ut eius persecutione facta in Christo, postea persecutionẽ ecclesia paterẽt: & occiderent quamplurimi discipuli Christi & sacerdotes: & pro nomine eius persecutiones grauissimas perferrent.

Vbi

Vbi Dauid ad regem Achis fugit.
Caput XVI.

INTEREA Dauid cum fugeret Saul, latere uoluit apud regẽ quẽdã Geth nomine Achis. Sed cũ gloria eius sibi fuisset cõmemorata, ne per liuorẽ idem rex ad quem confugerat, aliquid in eum machinaretur, finxit insaniam: & quasi furore correptus mutauit os suum: defluebantq; saliuę in barbam eius: collabebatq; in manibus eorũ, & procedebat ad ostia portæ, & dixit Achis rex: Quid mihi huc adduxistis istũ? Nunquid deerant furiosi? Et sic dimisit eũ. Achis interpretatã quomodo est? per quod designatur ignorantia: & uerbũ mirantis & nõ cognoscentis quod in gẽte Iudæorum impletũ est. Qui dum uiderent Chrũm, non agnouerũt: coram quibus mutauit os suũ & abijt: Erant enim ibi præcepta legis carnalia: erat sacrificiũ secundum ordinẽ Aaron. Postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificiũ secũdum ordinem Melchisedech. Mutauit ergo os suum in sacerdotio: mutauit in præceptis dans aliud testamentum euacuata carnali opatiõe: atq; inde collapsus est in manibus eorum, quando eũ comprehendẽtes crucifixerunt: & procedebat ad ostia portæ, id est humiliabat se. Hoc est enim procedere usq; ad ostiũ fidei nostræ. Ostium enim portæ, initium est fidei, Inde incipit ecclesia, & puenit usq; ad speciem: Vt cum credit ea quæ nõ uidet, mereatur perfrui cum eum facie ad faciem uidere cœperit. Quòd uero in illo quasi furore, saliuæ decurrebãt super barbam eius, Apostolus hæc aperiens dicit: Iudæi signa petunt: & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chrũm crucifixũ, Iudæis

quidē scandalū, gentibus aūt stultitiā. Ipsis uero uocatis Iudęis et Græcis, CHRISTVM dei uirtutem et dei sapientiam: quia quod stultū est dei, sapientius est hominibus: & quod infirmū ē dei, fortius est hominibus. Saliuæ enim significāt stultitiā & infirmitatē: sed q̄d stultū est dei, fortius est hominib⁹. Nō tāq̄ saliuæ offendāt: sed attēde qa sup barbā decurrūt. Quomō enim in saliuis infirmitas, sic in barba uirtus ostēdit. Texit ergo uirtutē suā corpore infirmitatis suę: & q̄d forinsecus infirmabat, tanq̄ saliua apparebat, intus aūt diuina uirtus, tanq̄ barba tegebat.

Vbi in spelunca Dauid, Saulis chlamydem præcidit. Cap. XVII.

Dehinc in eremo Engaddi, cum persequendū Dauid Saul appeteret, ingressus est Dauid in spelūcam, & ibi latebat. Sed rex improuisis exceptus insidiis, quod innocuo moliebat̄ inciderat. Scriptum quippe est: Qui fodit foueā proximo suo, ipse incidit in eam. Dauid autē bona pro malis retribuens, inimicum non occidit, sed pro testimonio facti oram regiæ chlamydis abstulit: cum facilius esset exceptum insidiis aduersarium, pdere magis q̄ fallere. Quid ergo est ꝙ iste fugiens à facie Saul, in spelunca latuit, nisi ut occultaretur & non inueniretur? Quid est quòd contegit spelunca, nisi contegit terra? Qui enim fugit in speluncam, terra tegitur ne uideatur. Portabat autem IESVS carnē quam acceperat de terra: & in ea se occultabat, ne à Iudæis inueniretur deus. Si enim cognouissent, nunq̄ dominū gloriæ crucifixissent. Quare ergo dominū gloriæ nō inuenerunt? quia spelunca se texerat, id est carnis infirmitatē oculis obijciebat: & ma

ieſtatem diuinitatis, in corporis tegmine tanq̃ ſpeluncæ abdito, contegebat. Illi ergo non cognoſcentes deũ, perſecuti ſunt hominẽ: nec mori potuit niſi in homine; nec crucifigi potuit niſi in homine: quia nec teneri potuit niſi in homine. Oppoſuit ergo male quęrentibus terrã: ſeruauit bene quęrentibus ultam. Fugit ergo ſecundum carnem in ſpeluncã à facie Saul, quia paſſus eſt: uſq; adeo ſe occultans Iudęis, ut moreret̃. Sed quare uſq; ad mortem noluit eẽ patiens, ut fugeret, à facie Saul in ſpeluncam? Etẽm ſpelũca inferior pars terrę põt accipi: & certe quod manifeſtum eſt & notum omnibus, corpus eius in monumento poſitum eſt, quod erat exciſum in pętra. Hoc ergo monumentũ ſpelũca erat. Illuc fugit noſter Dauid à facie Saul: Tam diu enim perſecuti ſunt illum Iudęi, quoaduſq; poneretur in ſpeluncã. Sed quid eſt ꝙ Saul perſecutor, ad purgandum uẽtrem, ſpeluncam ingredit̃, niſi ꝙ Iudæi Chr̃m conceptã mẽtis malitia quaſi odorẽ fœtidũ emiſerunt, & cogitauerũt apud ſe: noxiaq; factis exterioribus dum Chriſtum perimunt, oſtenderũt? Sed tñ Dauid Saulem occidere noluit. Et cũ eum in abdito occultatus antro haberet in poteſtatem, ſeruare poti⁹ q̃ occidere maluit. Ita & Chriſtus, dũ eſſet in ſpelunca carnis, perſecutorem populũ in poteſtate habuit et non occidit. Scriptũ enim erat de eis ꝑ prophetam: Ne occideris eos. Tantũ deniq; Dauid ſummitatem chlamydis eius ſilenter abſcidit: ut oſtẽderet ꝑ prophetiã Chr̃m Iudæos nõ occidiſſe, ſed eis tantũ regni gloriã abſtuliſſe: & ſic eos perſecutione ſua uacuos ſede uel imperio reliquiſſe. Chlamydis eñ abciſio, regni ẽ ademptio. Hoc etiã alio loco idẽ Saul

 cum

cũ per in obedientiã peccaſſet,oſtendit. Nam cũ ue niã precaretur, rogaretq́ Samuelẽ ut reuerteretur cum illo ad placandũ deum,& noluiſſet,ſed cõuertens faciem ſuã abiret, tenuit Saul pinnulam ueſtimenti eius & dirupit eam: & dixit ad eum Samuel: Dirupit dominus regnum Iſraël de manu tua hodie,& dabit illud proximo tuo: & diuidetur in duos populos. Ergo Iſraël pſona figuram tenebat populi:qui populus amiſſurus erat regnũ, dum perſequitur Chriſtum.

Vbi Dauid dormientis Saul haſtã tulit. XVIII.

QVõd conſequẽter iterũ demonſtratũ eſt,quãdo idẽ Dauid fugiens à facie Saul, ingreſſus in caſtra regis,cum dormiẽtẽ offendiſſet, non percuſſit, nõ occidit, ſed ſolũ lãceam quæ erat ad caput eius, & lenticulam ſuſtulit, dormientibus q́ cũctis egreſſus è caſtris,tranſiuit in cacumẽ mõtis.)Quid ergo eſt hoc? Perſequebãtur Chrm̃ Iudæi: ſed perſequendo dormiebãt, quia nõ uigilabãt corde.Duritia enim cordis,obdormitio ẽ.Dormiunt in uitam ueterem:non uigilant in nouam.Venit Chriſtus: nõ eos occidit,ſed tulit ab eis ſcyphũ aquæ,id eſt gratiam legis.Tulit & ſceptrum regale:regni ſcilicet ptãtem quam pro magno habebant, & unde ſe protegebant temporaliter,& quã aduerſus deum per incredulitatẽ gerebãt. Deinde Dauid noſter de caſtris eorũ egreſſus, tranſcendit in altitudinẽ montis cælorum.

Vbi Amalechitę ſuperant à Dauid. Ca. XIX.

INterea Dauid fugiens, dũ pergeret cũ Achis rege Philiſtinorũ in prælĩũ aduerſus Iſraël,ſurgentes Amalechitæ irruerũt in Sicelech: & ſuccẽdẽ-

tes c

les eam, captiuauerũt omnia quę erãt Dauid & pue rorũ eius. Reuersus ergo Dauid à persequẽdis Ama echitis, inuenit Aegyptiũ puerum lassescentẽ: quẽ Amalechitæ ægrotũ in itnere reliquerant. Hũc aũt Dauid inuentũ, cibo refecit: ducẽq; sui itineris fecit: sicq; Amalechitas persequitur: epulantesq; reppe- rit, & funditus extinguit.) Quid est ẽm quod Aegy ptius Amalechitæ puer in itinere lassat, nisi q̃ ama tor præsentis seculi, peccati sui nigredine optus, sæ pe ab eodem seculo infirmus despectusq; relinqui- tur: ut cũ eo nequaq̃ currere ualeat, sed fractus ad- uersitate, torpescat? Sed hunc Dauid inuenit: quia redemptor noster ueraciter manu fortis, nõnunq̃ quos despectos à mũdi gloria repperit, in suo amo re conuertit. Cibo pascit, quia uerbi scientia reficit: ducẽ itineris eligit, quia suum etiã prædicatorẽ fa- cit: & quia Amalechitã sequi nõ ualuit, dux Dauid efficitur: quia is quẽ indignũ mũdus deseruit, nõ so lum cõuersus in suam mentẽ deũ recipit, sed prędi cando hunc etiã usq; ad aliena corda perducit, qui uidelicet duce Dauid, Amalechitã cõuiuantẽ inue- nit & extinguit: qa ipse Christus prędicãtib⁹ mũdi lętitiã destruit, q̃s mũdus comites habere despexit.

Vbi pythonissam cõsuluit Saul. Ca. XX.

POst mortem autem Samuelis, cõgregati sunt Philistĳm contra Israël. Cõsuluitq; Saul domi num, & non respondit ei. Quæsiuit autẽ Saul pythonissam, quę suscitaret illi Samuelẽ. Statimq; suscitatus, ait ad eã: Quare inquietasti me ut suscita- rer? Etc.) Quęritur secundũ historiã utrum pytho nissa ipsum prophetã de inferno euocauerit, an ali- quã imaginariã illusionem fallacia dæmonũ factã.

De qua quęstione beatæ memoriæ Augustinus episcopus, Simpliciano Mediolanēsi episcopo scripsit: Inquiris inquam, utrum potuerit malignus spūs excitare animam iusti: & tanq̄ de abditis mortuorum repagulis euocare, ita ut uideret & loqueret cū Saul? Nonne magis mirandū sit, q̄ sathanas ipsum dominū assumpsit, & constituit super pinnā tēpli? Quolibet enim mō fecerit quod factū est, ita ut Samuel excitaret, similiter latet: nisi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad dominū uiuum unde uoluit assumendum, & ubi uoluit constituendū: q̄ ad Samuelis defuncti spūm e suis sedibus excitandū. Quòd si illud in euangelio nō ideo cōturbat, quia dominus uoluit atq; pmisit nulla diminutione suæ potestatis & diuinitatis id fieri, sicut ab ipsis Iudæis peruersis atq; immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri se, & uinciri, & illudi, & crucifigi atq; interfici passus est: ita non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ uoluntatis permissum fuisse, ut nō inuitus, nec domināte magica potentia, sed uolens atq; obtempans occultæ dispensatiōi dei, quæ pythonissam illam & Saulem latebat, spūs prophetæ sancti se ostēderet aspectibus regis diuina eū sentētia percussurus: quanq̄ in hoc facto pōt esse alius facilior intellectus, ut non uere spūm Samuelis excitatū à rege sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariā illusionē diaboli machinatiōibus factam: q̄d propterea scriptura nomine Samuelis appellat, qa solēt imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt: sicut omnia quæ pinguntur atq; fingunt, earum rerum quarum imagines sunt, nominibus appellant:

propriũq; nomen incunctanter adhibetur & dicit: Ille Cicero est, ille Salustius: hoc flumen Simois, illa Roma: cũ aliud nihil sunt quàm picte imagines: unde Cherubin cum sint cœlestes uirtutes, ficta tamẽ ex metallo quod imperauit deus super arcam fieri testamenti, magnæ rei significandæ gratia non aliud q̃ cherubin illa quoq; figmẽta uocitabant. Item dum quisq; uidet somniũ, nõ dicit, uidi imaginẽ Augustini, sed Augustinum: cũ eo tẽpore quo aliquid tale aliqs uidit, ignoraret hoc Augustinus: usq; adeo manifestum est nõ ipõs homines, sed imagines eorũ uideri. Et Pharao spicas se dixit uidisse in somnis & boues, non spicarũ aut boum imagines. Si igitur liquido constat, nominibus earũ rerũ quarũ imagines sunt, easdẽ imagines appellari, non est mirum q̃d scriptura dicit Samuelẽ uisum: etiãsi forte imago Samuelis apparuit: ficta machinamento eius q transfigurat se in angelum lucis, & ministros suos subornat uelut ministros iustitię. Iã uero illud inqt, mouet quomõ à maligno spũ Sauli uera prædicta sint: potest & illud mirũ uideri, quomõ dæmones agnouerunt Chrũm, quẽ Iudæi nõ cognoscebãt. Cũ enim uult deus aliquos infirmos spũs, aliqua uera cognoscere tẽporalia duntaxat ad istã mortalitatẽ ptinẽtia, facile est & non incongruũ, ut omnipotẽs & iustus ad eorũ pœnã qbus ista prædicant, ut malum quod eis imminet, anteq̃ ueniat prænoscẽdo patiantur, occulto apparatu mysteriorũ suorũ, etiã spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat: & q̃d audiũt ab angelis, prenũtiẽt hominibus: tm̃ aũt audiunt, quantũ omniũ dñs atq; moderator, uel iubet uel sinit: unde etiam spũs pythonis in actibus

apostolorũ attestatur Paulo apostolo, & euangelista esse conat. Miscent tãtum isti fallacia: & uerũ quod nosse potuerunt, non docendi magis quam decipiendi fine pronũtiant. Et forte hoc est, quòd cũ illa Samuelis imago Saulem prædicaret moriturum, dixit etiam secum esse futurũ: quod utiq; falsum est. Magno quippe interuallo post mortẽ separari bonos à malis in Euãgelio legimus: cum inter superbum illum diuitem, qui iam apud inferos tormenta patiebatur, & illum qui ad eius ianuã iacuerat ulcerosus, & nunc iam in requiẽ cõstitutus, magnũ chaos interiectũ eẽ testat. Aut si propterea Samuel dixit, mecũ eris, ut nõ ad ęqualitatẽ felicitatis, sed ad parẽ cõditionẽ mortis referat, quod uterq; hõ fuerit, & uterq; mori potuerit: iamq; mortuus mortẽ uiuo prænuntiabat. Secundũ utrũq; igitur intellectũ habere exitũ hanc lectionem qui non sit cõtra fidẽ, nisi forte profundiori inquisitione inueniatur: ad liquidũ uel posse uel non posse animã hũanã cũ ex hac uita migrauerit, magicis carminibus euocari, & uiuorũ ap parere cõspectibus: etiã corporis lineamẽta gestantẽ: ut non solũ uideri ualeat, sed agnosci. Et si potest utrũ etiã iusti anima nõ quidẽ cogatur magicis sacris, sed dignetur ostẽdi, occultatioribus mysterijs summę legis obtẽperans: ut si fieri nõ posse claruerit, ut nõ uterq; sensus in hui⁹ scripturæ tractationẽ admittat, sed illo excluso, imaginaria similitudo Samuelis, diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniã siue illud fieri possit siue non possit, tamen fallacia sathanæ atq; imaginum simulandarũ, callida operatione decipiẽdis sensibus humanis multiformis inuigilat: pedetentim quidem: ne inquisitionibus diligenti

gentioribus præscribamus, sed potius æstimemus tale aliquid factură maligno spũ pythonissæ illius ministerio: quandiu nobis aliquid amplius excogitare atq; explicare nõ datur. Hæc sunt quę tũc de pythonissa & Samuele, scripsit beatus Augustinus episcopus.

Vbi occiditur Saul. Ca. XXI.

IGitur exorto prælio, percusserunt Philistæi Israël plaga pessima: corruerũtq; in prælio Saul & Ionathã: quos deniq; pius propheta figuraliter deflet. Qui cum potentes essent & semper hostibus præualerent, sauciati, ilico in medio prælio corruerunt. Quomodo inquit ceciderunt potentes in medio pugnæ? Hoc etiã modo pium Christianorũ genus deflet eos qui pugnantes cum dæmonibus labuntur in seculo quod est lubricum: Gelboe enim montes, interpretantur lubrici montes.

Enarrationis Isidori in primum librum Regum finis.

CAPITVLORVM II. LIBRI REGVM, ELENCHVS.

Vbi admonetur Dauid, ne templũ dñi constituat.	I
De pctõ Dauid & Bethsabee.	II
De Absalom.	III
Vbi Dauid aquã sibi dari iubet de cisterna in Bethlehem.	IIII
De psalmo.	V
De catalogo uirorum fortium.	VI

berauit. Amemus iſtũ Dauid: quia tam graue in ſe uulnus iniquitatis pnīæ & humilitatis cõfeſſiõe ſanauit. Sed fortaſſe quis dicat: Si Dauid imaginem Chriſti gerebat, q̊mõ multos uxores & cõcubinas habuiſſe deſcribitur, cũ has res Chrũs horreſcat & damnet? Hoc enim per figurã fiebat. Multę em̃ uxores Dauid, multarũ gentiũ & nationũ imaginẽ indicabant, quę per fidẽ, Chriſti conſortio iũgerent̃. Cõcubinę uero ſignificãt hęreticorũ eccleſias, quę ſub Chriſti noĩs titulo manere gloriãt̃. Sed qa propter carnalia lucra ſectantur Chriſtũ, non coniuges ſed cõcubinę uocãtur. Deniq; nũc reges, ſi plures habeant uxores uel cõcubinas, crimẽ eſt: quia iã tranſierũt figuræ pro quibus uxorũ uel cõcubinarũ uenia concedebat̃. At nunc quia figuræ trãſierunt, uenia nulla datur.

De Abſolom. Cap. III.

ILlud uero qd ſignificet ꝙ parricida filius Abſolom patrẽ inſequẽs, prĩo pater ei⁹ declinãs fugit ante faciẽ eius ſecurus de uictoria: qa ſciebat impiũ perire. Quẽ etiã fleuit magno luctu: & deplorauit exitũ parricidæ. Scribit̃ em̃ ſic fugiſſe Dauid à facie bellantis aduerſum ſe filii: & quoniã ſcriptũ eſt de populo Iudęorũ: Filios enutriui et exaltaui: ipſi aũt ſpreuerũt me. Fili⁹ uero ei⁹ impius, ſignificat tropice eũdẽ populũ Iudaicũ q eũ tradidit. Abſolõ aũt ſicut qdã intelligũt, interpretat̃ patris pax. Quod mirũ uidet̃ in hiſtoria, quẽadmodum patris pax poſſit intelligi, q patrẽ bello ẽ pſecut⁹. Sed qui diligenter allegoriã intendũt, inſpiciũt Abſolõ eẽ Ieruſalẽ: quæ etiã & ipſa pax interpretat̃, à cuius facie Chrũs fugit, qñ eã patiẽdo deſerẽs, in gẽtibus p fidẽ

ſeceſſit

feceſſit. Alij Abſolom Iudã traditorẽ accipiunt: quẽ tãta & tã mirãda patientia Chrũs pertulit tanq̃ bonũ, cum eius cogitatiões nõ ignoraret: & cum quo habuit cõuiuiũ, in q̃ corpis & ſanguinis ſui futurũ diſcipulis myſteriũ, cõmendauit & tradidit. Q, denique in ipſa traditiõe oſculũ accepit, bñ intelligitĩ pacem Chrũm exhibuiſſe traditori ſuo: quã ille tãſcelerate cogitatiõis interno bello uaſtaret. Et ideo Abſolom patris pax dicitur: quia pater habuit pacẽ quam ille non habuit.

Vbi Dauid aquam ſibi dari iubet de ciſterna in Bethlehẽ. Ca. IIII.

ITem ipſe Dauid in prælio Philiſtinorũ cũ ſitiens conuerſaretur in bello & aquã quæreret: Quis mihi inquit, potũ dabit de lacu qui eſt in Bethlehem? Et ad portas erat iter lacus: & Dauid interfuſus hoſtibus: & media hoſtilia iunxerat caſtrorũ ſepta. Præceſſerunt itaque tres uiri multitudinẽ aduerſariorũ, & aquam de lacu qui erat in Bethlehẽ obtulerunt regi bibendã: ſed rex noluit bibere, ſed profudit eam dño, dixitque: Nõ cõtingat mihi hoc facere, ut ſanguinem uirorum qui abierunt ex animis bibam. Vicit ergo naturã ut ſitiens non biberet: & exẽplũ de ſe præbuit, quo omnis exercitus tolerare ſitim diſceret. Quòd ſi altius uelis expectare & introſpicere myſteriũ, ſitiebat Dauid non aquam quæ ẽ in Bethlehem, ſed oriundum in eadem Bethlehem ex uirgine CHRISTVM in ſpiritu præuidebat. Volebat ergo bibere nõ aquam fluminis, ſed lauacrum ex latere CHRISTI fluentem: hoc eſt non aquarum ſitiebat elemẽtum, ſed ſanguinẽ CHRISTI: unde & non bibit oblatã aquã, ſed dño fudit:
ſignifi

significans sitire se Christi sacrificiũ non natura fluentẽ: sed illud sacrificiũ in quo est remissio peccatorũ. Illũ sitire se fontẽ æternũ: non qui periculis quęreret alienis, sed pericula aliena deleret.

De psalmo Cap. V.

Quęrit autẽ, cur septimusdecimus psalmus in libris Regũ reperiat cõscriptus. Nec immerito psalmus iste in Regnorũ libris solus inuenit: quia regnũ illud significat, ubi aduersariũ nõ habebimus. Titulus enim eius est: In die qua eripuit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul regis. Quis enim figuratur in Dauid, nisi ille qui uenit secundum carnem ex semine Dauid: qui utique in corpore suo quod est ecclesia, adhuc patit inimicos? Vnde & illi persecutori quẽ uoce mactauit, & in suũ corpus trajciẽs quodãmodo manducauit, insonuit de cœlo: Saule Saule, quid me persequeris? Quando enim eruetur hoc corpus eius de manu omniũ inimicorũ eius, nisi cum & illa nouissima inimica destruet mors, ut peueniatur ad regnum dei?

De catalogo uirorũ fortiũ. Cap, VI.

Dehinc texitur catalogus uirorũ fortiũ in figura sanctorũ. Qui licet quis uirtutũ sublimitate proficiant, tamen usq; ad excellentiã diuinæ trinitatis nequaq̃ attingũt. Inde est quòd ibi scriptum est: Vsque ad tres non peruenit. Quis enim æquabitur domino: aut quis similis erit deo inter filios dei?

Enarrationis Isidori in librum
II. Regum, finis.

Capi-

CAPITVLORVM ELENCHVS.

De Salomone.	I
De templi ædificatione.	II
De sapientia Solomonis.	III
De iudicio eius.	IIII
De regina Austri.	V
De cæteris opibus eius.	VI
De diuisione decem tribuũ.	VII
De Helia & uirtutibus eius.	VIII

De Salomone. Cap. I.

SVccedit deinde Salomõ in quo quidẽ nõnulla imago rei futuræ facta est, in eo ꝙ templũ ędificauit, & pacẽ habuit secundũ nomẽ suũ. Salomõ ꝗppe interpretat̃ pacificus. At per hoc tale uocabulũ illi uerissime congruit, per quẽ mediatorẽ ex inimicis accepta remissiõe pctõꝝ, reconciliamur deo. Etẽ cũ inimici essemus, recõciliati sumus deo per mortẽ filij eius. Idẽ ipse est ille pacificus, qui fecit utraqꝫ unum: & mediũ parietẽ macerię soluens, inimicitias in carne sua legẽꝗ mandatoꝝ decretis euacuãs, ut duos cõderet in se in unũ nouũ hoĩem, faciẽs pacẽ: & ueniens euangelizauit pacẽ his qui longe, & his qui prope. Ipse in euangelio dicit: Pacẽ meã do uobis: pacẽ relinquo uobis. His & multis alijs testimonijs, dominus Iesus Chrũs pacificus esse mõstratur.

De templi ædificatione. Cap. II.

NAm id ꝙ ædificauit templũ excellẽtissimũ dño, & ibi Chrm̃ significat: qa ędificauit domũ deo in cœlestibus: nõ de lignis & lapidibus, sed de hoĩbus sanctis, hoc ẽ fidelibus qbus dicit Apostolꝰ: Templũ dei sanctũ ẽ q̃d estis uos. Q̃ uero eadẽ domus de dolatis lapidibus atqꝫ pfectis

ædificata eſt, & malleus & ſecuris, & oẽ ferramentũ nõ eſt auditũ in tẽplo dei cũ ędificaret. Quid eñ do mus illa ut prędictũ ẽ, niſi ſanctã eccleſiam quã in cœleſtibus dñs inhabitat, figurabat? Ad cuius ædifi cationẽ, electorũ animæ quaſi qdã expoliti lapides deferuntur. Quæ cũ ædificat in cœlis, nullus illic di ſciplinæ malleus reſonat: quia dolati atq; pfecti il luc lapides ducimur, ut locis iuxta meritũ cõgruis diſponamur. Ideo enim foris hic tũdimur, ut illic ſi ne reprehenſione inueniamur. Altitudo aũt templi huius dñici ad fidẽ refert: longitudo ad ſpẽ: latitudo ad charitatẽ. His enim tribus uirtutib9 quaſi linea mentis ſanctę eccleſiæ cœleſtis ſtructura cõſurgit. Porro ꝙ parietes templi interius ligno tegunt, hoc ob myſteriũ dñicæ crucis imaginatũ eſt: ſub cuius tutela proteguntur oẽs ſancti, qui in diruptæ pacis perſeuerantia, tanq̃ lapides uiui in ſtructura eccle ſię unitate fidei ſolidant. Et bene interius ueſtitur li gno templũ: qa corde creditur ad iuſtitiã. Quòd ue ro tẽpore dedicationis gloria domini impleuit do mũ, gloria domini intelligitur CHRISTVS, cui9 fi de repletus eſt uniuerſus mũdus. De qua gloria cũ pro adorato uitulo, dominũ deprecaret Moyſes ut parceret populo peccatori, rñdit dominus: Propiti us ero illis: Veruntamẽ uiuo ego & uiuit nomẽ me um, quia implebit gloria mea oĩs terra. Vnde & an geli clamabãt paſtoribus: Gloria in excelſis deo: & in terra pax hoĩbus bonæ uoluntatis. Quòd aũt ne bula impleuit domũ dei, & non poterãt ſacerdotes miniſtrare propter nebulã, hæc ſentẽtia ſupbos Iu dęorũ pontifices ac doctores inſinuat: qui dũ natiui tatis Chriſti ſacramẽta inueſtigare deſpiciunt, de bitum fidei ſuę miniſterium per erroris nebulã per

didcrũt

diderunt. Ita enim eorum mentes infidelitatis caligo repleuit, ut exigentibus proprijs meritis, nō agnoscāt cultū credulitatis. Quòd uero idē Salomō in eodem templo duodecī boues æreos fecit, q̊s in æreo labro costituit, qui facie quidē per diuersas partes attendunt, sed in uno loco per posteriora colliguntur: Quid enim aliud per duodecī boues q̄ xii. apostolos credimus designari? Qui facie quidem per diuersa respiciūt, sed ita in labro sunt positi, ut ex posterioribus adunentur: qui in hac p̄senti uita ad prędicatiōis officiū in diuersis mūdi partib⁹ sunt diuisi: in illa uero uita quę huic uitę posterior ē, quia post hanc uidetur, æterna gloriæ unitate cōueniūt. Per diuersum ergo mundū prædicando respiciūt: sed in unū conueniendo cōsistunt. Ideo aūt ærei, qa clamor prædicationis eorum in toto mūdo sonuit, sicut scriptum est: In omnem terrā exiuit sonus eorum. Labrum aūt, orbem terræ intelligimus, cuius ambitū lustrauerunt apostoli, docentes ut gētes baptizarētur in nomine patris, & filij, & spūs sancti.

De sapientia Salomonis. Cap. III.

LOCVTVS est autem Salomō tria milia parabolas: & fuerūt carmina ei⁹ quinq; milia.) Quid enim p tria milia parabolas, nisi plenitudo fidei in lege, & in euangelijs à Christo tradita designat? Quæ dū tota multipliciter per allegoriarū sensus sub mysterio trinitatis dissseritur, quasi tria milia parabolę nuncupantur. Carmina autem eius quinque milia in quinq; sensibus corporis intelliguntur. Quos qui in diuersis uirtutibus bene regit, beatus est: & per eos quasi quinque milia carmina domino canit. Disputauit autē Salomon a cedro usq; ad hyssopum.) Cedri nomine celsi-

 tudo

tudo gloriæ in electis accipit, ſicut et propheta teſtaẽ dicens: Iuſtus ut palma florebit: & ſicut cedrus quæ ẽ in Libano multiplicabitur. Hyſſopus aũt herba ẽ humilis, ſaxo hærens: qua ſignaẽ hũilitas Chrĩſti. Redẽptor qppe noſter, à cedro uſq; ad hyſſopũ diſputauit: qa ab alta excellentia cœleſtis gloriæ, uſq; ad carnis humilitatẽ deſcendẽdo puenit. Siqdẽ & cedri noĩe prauoꝝ ſupba elatio deſignatur, ſicut per Dauid dicitur: Vox dñi cõfringentis cedros. A' cedro itaq; Chrũs uſq; ad hyſſopũ diſputat, qa ipſe prauoꝝ corda & humiliũ iudicat. Super ligna autẽ diſputauit, dũ in cruce pepẽdit. Tunc enĩ in cedros, ſeculi arrogantiã inclinauit, qñ eã uſq; ad hyſſopi humilitatẽ i. uſq; ad crucis ſtultitiã ac contemptibilem fidem deduxit.

De iudicio eius. Cap. IIII.

Legitur q̃q; idẽ ſapientiſſim⁹ primũ habuiſſe iudiciũ inter duas mulieres de pietate certãtes. Quarũ in una dilectio ardebat: ĩ altera ſimulatio ſubripiebat. In illo ergo iudicio Salomonis Chriſti figura fuit, ubi mulier illa impba, plebs ſc. ſynagogæ uel hæreticoꝝ, ueræ matris hoc eſt eccleſię filiũ appetebat: quẽ nõ ut ſeruaret, ſed reuera ut interimeret cupiebat. Sed ſicut gladio Salomonis dirimente propriæ matris gemitus, iſte uerus reptus eſt partus, ita ſpũ IESV CHRISTI docẽte, plerunq; hi qui à matre ſeducti & capti ſunt errore hæreticoꝝ, nõnunq̃ merẽtur pro ſemetipſis gementẽ recognoſcere eccleſiã matrẽ. Vñ ſatis cõuenienter apparet hanc mulierẽ hæreticoꝝ uel ſynagogæ figuraſſe impietatẽ: qua & ſuos neqter nutriẽdo interimũt, & alienos q̃adusq; pdant, illiciẽdo perſuadẽt

DE REGINA Auſtri, Cap. V.

Regina

Regina aũt Austri quæ ab interuallis ultimis excitata ueniẽs, Salomonis audire sapiẽtiã concupiuit, iã tũc per illam uentura de gẽtibus regina desiderans Chrm̃, figurabatur. Quę iuxta propheticũ os circũamicta uarietate, in uestitu deaurato, & populi sui & patriæ domus oblita, currebat: barbara gente nõ animo: quæ in aperto peregrina: sed ĩ occulto, sanctorũ fieri ciuis optabat. Vñ non solũ cœlesti præmio resurrectiõis beata, sed etiam ptãte apostolica de Iudæis adulteris iudicãdis, in ipsius ore iudicis digna censet: quia Christũ in Salomone mirata, uerę reginę cœlestis affectũ in imagine mystica ecclesiæ prouidentis impleuerat.

DE cæteris operibus eius. Cap. VI.

IAm porro de cęteris operibus Salomonis quid dicam? quẽ uehemẽter arguit sancta scriptura atq; cõdemnat: nihilq; de pnia eius, uel in eũ indulgẽtia dei, omnino cõmemorat. Nec prorsus occurrit quid saltẽ in allegoria boni significet hæc ei⁹ fluenda submersio: nisi forte qs dicat mulieres alienigenas quarũ amore exarserat, significare ecclesias electas de gentibus. Posset hoc fortasse nõ absurde intelligi, si ille propter Salomonẽ desererẽt deos suos, & colerent deũ eius. Cũ uero propter illas offẽdit deũ suũ, & coluit deos earũ, nõ est quid inde boni cõiectari possit: nec tñ nihil arbitror significare, sed malum: sicut de uxore filiabusq; Loth dixim⁹. Apparet enim in persona huius Salomonis, mira excellẽtia & mira subuersio. Quod igitur in illo diuersis tẽporibus extitit prius bonũ & posterius malũ, hoc in ecclesia in isto adhuc seculo simul & uno tẽpore, oñditur. Nam bono illi⁹ bonos ecclesię, malo autẽ illius malos significatos puto, tanq̃ in unitate

unius areæ: ſicut in uno illo homine bonos in granis, malos in paleis: aut in unitate unius ſegetis bonos in tritico, malos in zizaniis.

De diuiſione decem tribuũ. Cap. VII.

ILLVD uero ꝙ poſt mortem Salomonis decẽ tribus à templo ſeparatæ ſunt & duæ relictæ, ſatis indicat, quod de tota gente ipſa Apoſtolus ait: Reliquiæ per electionẽ gratiæ ſaluæ fient.

De Helia, & uirtutibus eius. Ca. VIII.

QVID aũt ſignificẽt magni illi & inſignes prophetæ, qui etiam mirabilia multa fecerunt, Helias & Heliſæus diſcipulus eius? Paſcitur eñ Helias tẽpore famis, coruis mane afferentibus panẽ, & ad ueſperũ carnes: ut intelligat illi Chriſtũ, cui q̃dãmõ ſalutẽ noſtrã eſurienti, confitentur peccatores fidẽ, primitias ſpũs nũc habẽtes. In fine autem uelut ad ueſperam ſeculi, etiã carnis reſurrectionem. Mittitur Helias paſcẽdus ad alienigenã uiduam: quæ uolebat duo ligna colligere priusq̃ moreretur. Nõ hic ſolo ligni nomine, ſed etiã numero lignoꝶ ſignum crucis exprimit̃. Bene dicitur farina eius & oleũ, fruct⁹ & hilaritas charitatis: quę cũ impenditur, non defeciſſe dicitur: Hilarem enim datorem diligit deus. Vidua eniſta ut opinor, eccleſia ſignificat̃: quã Chriſtus nõ frumẽti ſed uerbi pane ſatiat: De qua dicit̃ per Dauid: Viduã eius bñdicẽs bñdicam: Illã ſcilicet uiduam, quã Apoſtol⁹ dicit: Mortuo uiro quibus uelit nuptijs libera eſt: quia deſinẽte lege cuius finis eſt Chriſtus, ad gratię libertatem tranſitum faciẽs eccleſia, Chriſto quaſi uidua legis innupſit. Huius nũc in uaſis, oleum gratiæ & benedictionis farina non deficit, in omnibus foris gentibus fame manente. Quarum cibi uitæ eſuriem, & fidei tri

dei trinitatis mediam, cõgrue præfigurauit illa q̃n dam triennio fames. Quòd uero per Heliam in tem pore ſiccitatis nubes illa apparuit, & poſtea futuræ pluuiæ ſignum in ueſtigio hominis oſtenſum eſt, ſignificabat quòd naſcente Chriſto in ueſtigio ho minis, ad terras imber de celo deſcenderet qui nos à peccato mundaret.

CAPITVLORVM IN LIBRVM REGVM IIII. ELENCHVS.

De duobus quinquagenarijs cũ militibus ſuis igne combuſtis. I
De Heliſæo, ubi aquas Iericho ſteriles & malignas ſanauit. II
De paruulis ab eo maledictis, & ab urſis deuoratis. III
Vbi per ſeruum ſuum baculum mittit, & mortuus non reuiuiſcit. IIII
De ferro à ligno exiliente in profundum. V
De ægritudine Ezechiæ regis, & quindecim annis additis. VI
De diuitijs eius Ghaldæis morbo iactantiæ oſtenſis. VII
De tranſmigratione populi à Nabucgodonoſor facta in Babylonia. VIII

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI IN LIBRVM Regum IIII Cap. I.



ITTIT REX IMPIVS DVOS QVINquagenarios cũ ſubditis ſibi militibus ut exhibeant Heliam: qui diuino igne cõſumpti ſunt. Tertius aũt miſſus ſaluatar. Quinquagenarius nanq; numerus cõfeſſio pœnĩę eſt; q̃ declaratur remiſſio pctõrum.

Iudæi enim nolētes Christū deum esse perfectum, nec principē pœnitētiæ, dicunt ad eū: Quinquaginta annos nondū habes, & Abrahā uidisti? In futuro diuini ignis incēdio extinguentur. Tertius aūt quinquagenarius qa cōuersus ad fidē trinitatis, pnīæ sacramēta cognouit, indulgentiam meruit.

De Helisæo, ubi aquas Iericho steriles & malignas sanauit. Cap. II.

POstulatur Helisęus à populo ut aquas Iericho steriles & malignas sanaret. Accepit uas rude fictile, & adiecit ī eo sal, & demersit illud in flumine, & statim aquæ sanatæ sunt. Quo facto pronuntiabat propheta, ut uerbū caro fieret, & habitaret in nobis. Inde similitudinē uerbi salem .i. sapientiā dedit in uas fictile, in corpus scilicet humanū immittens, in aquā dimersit: qd quidē significabat, qꝫ oēs populi q sub figura aquarꝫ in toto mūdo steriles erant, per CHRISTI incarnationē fœcunditatem & benedictionem accepturi essent.

De paruulis ab eo maledictis, & ab ursis deuoratis. Ca. III.

IPse quoqꝫ Helisęus propheta, figurā Christi gessit. Deniqꝫ uocabulū ipsum, salus dei interpretatur. Salus aūt dei quis alius nisi filius eius ē, q & saluator ubiqꝫ uocat? Paruuli uero illi illudētes salu ti dei Helisæo, Iudæorꝫ habebāt personā: qui ad crucē dño saluatori subsannabāt. Qꝫ aūt dicunt, Ascende calue, ascēde calue, qa in Caluarię loco Chrūs ascensurus erat in cruce. Qꝫ uero cōuersus maledixit eis Helisęus, & exierūt duo ursi de sylua, & interfecerunt quadraginta duos pueros blasphemantes, ita Chrūs post passionē & resurrectionem ex mortuis posteaq̄ ascendit ad cœlos, sicut Helisæus ascendit

in Bethel.i. in domo dñi, cõuerſus maledixit eis:& quadrageſimo ſecundo anno aſcẽſionis ſuæ, immiſit duos urſos de ſyluis gẽtiũ, Veſpaſianũ ſcilicet & Titum: & eos crudeli ſtrage deiecerunt. Venit ipſe, coniungit ſe & coaptat mortuo, & reuiuiſcit.

Vbi per ſeruũ ſuum baculũ mittit, & mortuus nõ reuiuiſcit. Cap. IIII.

Miſit ergo Heliſęus per ſeruum baculũ ſuper mortuũ, & non reuiuiſcit. Miſit ſermo dei legem per ſeruũ ſuum, & nõ profuit in peccatis mortuo gñi humano. Venit ipſe deſcendẽs de cœlorꝫ ſublimitate quaſi de montis altitudine: humiliauit ſe ipſum: confirmauit ſe nobis: mortuiſq; membris ſua mẽbra compoſuit: noſtræq; mortalitati de ſuo corpore medicinã aptauit. Deinde ſuſcitat mortuũ ſepties oſcitãtem : qa ſeptiformẽ ſpũm humano generi dat, per quod uiuificatus, à morte peccatorum reſurgat.

De ferro à ligno exiliẽte in ꝓfundũ. Ca. V.

Cum ſecuribus ligna cæderenter, de ligno ferrum exiliens, in profundũ fluminis immerſum eſt: atq; in lignũ deſuper ab Heliſæo proiectum, reuerſum eſt. Ita cũ impios Iudæos operata præſentia CHRISTI, tanq̃ infructuoſas arbores cędederet: quia de illo Iohañ. dixerat: Ecce ſecuris ad radicem arborꝫ poſita eſt, ab eis interueniente paſſione corpus deſeruit, & in inferni profundũ deſcẽdit. Quod in ſepultura depoſitũ, tanq̃ ad manubriũ ſpiritu redeunte ſurrexit.

De ęgritudine Ezechiæ regis, & quindecim annis additis, Ca. VI.

Recũbente in lectulo Ezęchia, grauiq; ægritudine laborãti, ex perſona domini Eſaias pro

pheta adorſus eſt eum, prędicans illi quia moritur. Illo autem exorante dominũ in ipſo mortis præſtituto termino, cõfeſtim dominus uocẽ eius exaudiuit: & quindecim annis uitã deprecantis extendit. Qui numerus quindecim annorũ, quod ſacramẽtũ contineat in myſteriũ, uideamus. Nam ut Apoſtolus ait, ſecundũ quod quis operatus fuerit, ita recipiet: Ideoq; iſte rex oẽm decalogum legis cũ quinq; libris Moyſi compleuerat. Ideo quindecim annos ſecundum legis numerũ quam cuſtodierat, ad uitam auctus ſuſcepit: per quod figuraliter ſciremus, qa quicunq; per numeri iſtius myſterium totius legis plenitudinem cuſtodiũt, & æternæ ſalutis præmium conſequunt, ac per legis cõſumatiõem, ad æternæ uitæ tranſeunt plenitudinem. Cuius quidẽ pro ſigno proferẽdæ ſalutis, decem gradus domus ſuæ in quibus umbra deſcendere cõſueuerat, ſol retrorſum ad ortum unde aſcenderat, regreſſus ſcribitur: qui numerus quid myſterij habeat, uideamus. Nã gradus iſti, temporũ ordines ſunt: per quos umbra figurarũ Chriſti deſcenderat: & per quos iterũ ſol iuſtitiæ Chriſtus poſt reſurrectionem aſcendit.

Primus itaq; gradus deſcenſionis de deo in angelo fuit: quia magni conſilij nuntius erat. Deniq; Iacob ſic alloquitur: Et dixit inquit, angelus dei: Ego ſum deus cui unxiſti titulum & uouiſti uotum: ut & angelum & deum oſtenderet.

Secundus gradus deſcenſionis de angelo in patriarchis fuit: qa in omnibus ut ait Apoſtolus, ipſe operatur. Tertius in legis datione: quia & in lege ipſe locutus eſt. Quartus gradus in Ieſu Naue: ut populum in terrã promiſſionis induceret. Quintus in iudicibus: quia eũdem populũ ſuper eos ipſe

regebat

regebat. Sextus in regibus Iudæorum: quia in eis ipse regnabat. Septimus in prophetis: quia per eos dominus est nuntiatus. Octauus in pontificibus: quia ipse est summus sacerdos patris. Nonus in homine. Decimus in passione. Per hos enim decem gradus ipse per umbram legis priscæ Christus descendit: ac rursus post resurrectionem suam sol iustitiæ per eosdem gradus sursum ascendit in cœlum: & omnem illam umbram legis, ueritatis radijs illustrauit: obscura reuelans: clausa referans, & omnia tecta.

De diuitijs eius Chaldæis morbo iactantiæ ostensis. Ca. VII.

QVòd Ezechias rex diuitias suas Chaldęis appetitu ostentationis prodidit, & propterea periturum Israël audiuit, significat dei seruum, qui dei uirtutes iactantiæ studio prodiderit, mox eas perdere, & dæmones operum suorum dominos facere: sicut ille per ostentationis appetitum, thesauros suos esse fecit sub domino Chaldęorum.

De transmigratione populi à Nabucgodonosor facta in Babylonia. Ca. VIII.

NAm ipsa in Babyloniam transmigratio, quę etiam spiritus dei per Ieremiam prophetam iubet ut pergant, & orent pro eis ipsis in quorum regno peregrinant, quod in illorum pace etiam pax esset istorum, & ædificarent domos, & nouellarent hortos, & plantarent uineas, quis non agnoscat quid figurarit, qui attendat uiros Israëlitas: in quibus non est per apostolicam dispensationem cum euangelico sacramento ad regnum gentium transmigrasse? Unde nobis Apostolus tanquam Ieremias replicans dicit: Volo ergo primum omnium fieri deprecationes, adorationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus

agamus in omni charitate & pietate: Hoc enim bonum & acceptũ corã saluatore nostro deo, qui oẽs homines uult saluos fieri, & ad cognitionẽ ueritatis uenire. Ex hoc quippe, etiã illis credẽtibus constructæ sunt dñicæ pacis Christianarũ basilicæ congregationũ: latæ uineę populi fideliũ & plantati horti: ubi etiã inter omnia olera granum illud sinapis regnat: sub cuius umbraculis longe lateq; porrectis, etiam altipetax superbia gentiũ, tanq̃ in cœli uolatilibus, confitendo requiescit.

Enarrationis Isidori in lib. Regum finis.

CAPITVLORVM IN ESDRAM ELENCHVS.

De septuagita añis captiuitatis, & Iesu sacerdote.	I
De uasis domini in Babylonẽ deportatis.	II
Quòd rex Babylonius diaboli typũ gerat.	III
De reditu populo in Ierusalem.	IIII

De LXX. annis captiuitatis, & Iesu sacerdote. Caput I.

IAm quòd etiam post septuaginta annos secundum eiusdem Esdræ prophetiam reditur à captiuitate, & templum renouatur, quis fidelis CHRISTI non intelligat, post euoluta tempora quę septenario dierum numero repetitiõe transcurrunt, etiã nobis ideſt ecclesiæ dei, ad illam cœlestem Ierusalem, & ab huius seculi peregrinatione redeũdum? Per quẽ nisi per Iesum Chrm̃ uere sacerdotẽ magnum? Cuius figurã gerebat Iesus ille sacerdos magnus illius temporis, à quo templũ ædificatum est post captiuitatẽ: quem propheta Zacharias uidit in sordido habitu: deuictoq; diabolo qui ad eius accusatio

ccuſationem ſtabat, ablatã ſibi ſordidã ueſtem, & datum indumentũ honoris & gloriæ: ſicut corp9 eſu Chriſti q̃d eſt eccleſia, aduerſario in fine tẽporũ per iudiciũ ſeparato, à luctu peregrinationis in gloria ſempiternæ ſalutis aſſumitur. Quod etiã in pſalmo dedicationis domus apertiſſime caniť: Conuertiſti luctum meũ in gaudiũ mihi: conſcidiſti ſaccũ meum, & accinxiſti me lætitia: ut cantet tibi gloria mea & non cõpungar.

De uaſis domini in Babylonem deportatis. Cap. III.

QVòd aũt uaſa domini ſacrificus uel ſacramẽtis myſticis deputata, rex quondam Babylonius de Ieruſalem abſtuliſſe dicitur, pariterq; cum captiuis adduxiſſe & ſuis uſibus deputaſſe, miſerãte aũt domino poſt ſolutã captiuitatem, uaſa illa relicta ſunt non conflata: & diuino rurſum uſui mancipata.

Quòd rex Babylonius diaboli typum gerat. Cap. II.

REX Babyonius diabolus eſt: qui fideliũ populum error captiuitate uinctum, de Ieruſalem id eſt eccleſia, in Babyloniã id eſt confuſionem hæreticæ prauitatis abduxit. Sed & partem uaſor id eſt ſacramentorum, ſimul cum captiuis aſportauit: Nã uaſa ſacramentor, ipſa ſacramẽta ſignificãt, per quæ diuini cultus perfectio adimpletur. Detulerunt nanq; ex his nõnulla ſecũ ex noſtris hæretici: in primis nomen ipſum CHRISTI q̃ ſe Chriſtianos uticq; dicunt: aſportauerũt legẽ, euangeliũ, Apoſtolũ, Pſalterium, baptiſma, amẽ, alleluia.

De reditu populi in Ieruſalem. Cap. IIII.

CVM autem respectu domini ignorantiæ cõfusiõe relicta, populus ad Ierusalem id est uisionẽ pacis, quę est ecclesia dei uiui duce domino redire festinat, hęc uasa .i. sacramenta deferẽs non immutat, sed reportat utiq; integra: nec cõfringit quasi in melius renouanda, sed ea templo restituit, usibusq; diuinis accõmodat: ita ut ea secũ non perdita, sed etiã apud impios seruata fuisse, plebs restituta congaudeat. Nec delemus Euangeliũ, nec obliteramus Apostolum: Amen quoq; & Alleluia non commutamus: baptisma non iteramus.

ISIDORVS HISPALENSIS EPISCOPVS DE MACHABAEIS.

DE MACHABAEIS autem fratribus quid loquar, qui sub Antiocho rege pro sacris legibus dira tormẽta perpessi sunt? Mater pia cum diuersis supplicijs urgeretur, non solum non fleuit, sed & gaudens hortabatur ad gloriam passionis. Sic & mater ecclesia gaudet atq; in martyribus suis collętatur: maioremq; gloriã per martyria filiorum consequitur, dum eos per septiformẽ spiritum superasse diabolum gratulatur. Quis poterit omnia, quę illis ueteris legis & prophetarum libris figurate anuntiantur, quantalibet breuitate pstrin gere? nisi forte quis putat ingenio fieri, ut ea quę rerum ordine per sua tempora cucurrerũt, ad mysticas significationes interpretãdo uertãtur. Hoc forte Iudęi possunt dicere siue pagani: Eis autẽ qui se Christianos esse uolun͞t premit ceruicem apostolica authoritas dicens: Omnia hæc in figura contin-

gebant

ant illis. Et hæc omnia figuræ nostri fuerunt, ‑os finis seculorum omnium uenit: suntq; uni‑a mysterijs consummata: per dominum nostrum IESVM CHRISTVM cui ē honor & gloria regni, & potestas cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

ISIDORI ENARRATIONVM FINIS.

Coloniæ impensis honesti ciuis Petri Quentel.



ti-
on
bs
ec
ia

o

id
le-
pia
n

